
FRANCISCI CAMPANI QVAESTIO VIRgiliana,

per quam diligentiß. Poëtæ negligentiæ, quam Tucca & Varus, ac cæteri hactenus obiecerunt, absoluitur: & sine qua multa in diuina Aenëide ad hanc diem obscurißima loca, sed in secundo præsertim & sexto, intelligi non possunt, ideoque lectores iure torquebant, quod ex ijs essent, quæ insolubilia dicuntur. Non pauca item apprimè erudita adijciuntur.



PARISIIS.

Apud Ioannem Foucher, sub scuto Florentiæ, & uasis effracti, uia ad D. Iacobum.

M. D. XLII.

CVM PRIVILEGIO.

LE PRIVILEGE.

Il est permis a Iehan Foucher, libraire iure en l'uniuersité de Paris, de imprimer ou faire imprimer ce present liure, intitulé Quæstio Virgiliana Frãcisci Cãpani. Et deffences faictes a tous aultres, de non imprimer ne faire imprimer, uendre ne distribuer ledict liure aultre que ceulx que ledict Foucher aura faict imprimer, iusques a trois ans, sur peine de confiscation desdictz liures, & d'amende arbitraire. Faict le neufiesme iour de Decembre M. D. XL.

Ainsi signé, I. I. de Mesmes.

HERCVLI GONZAGAE ELECTO MANTVANO, MAXIme reuerendo atque illustri, Franciscus Cāpanus S. D.



OMERI uirtutes Hercules Gonzaga, quod tu minimè ignoras, tam cognitæ apud Græcos sunt, quàm nota apud omnes gentes gloria; quòd Criticorum, qui posteà Grammatici dicti sunt, labore potißimum atque opera factum est, qui non mediocrem in eruendis illis curam cogitationemq; posuerunt. Hos enumerare quidem magnum esset, ita fuerunt multi. celeberrimi uerò (sicut accepimus) Aristarchus, Crates, atque Zenodotus. non parum tamen (multo antiquiores illos, de quibus Plato meminit in Ione) & ipse, atque Aristoteles, alijq; Philosophi non parum multi, & hi quidem magni atque nobiles, insignes illas manifestasq; scriptis suis fecerunt. Homero autem tuo, imò nostro potius, Mantuano longè aliter accidisse uidetur. licet enim commentariorum in eum scriptores, ex antiquioribus memorare satis multos possumus, non improbatos sanè plerosq;, uel Gellio ipso teste, neque ignobiles, nec numero tamen, nec eruditione atque ingenij acumine fortasse, cum Græcis illis cōferendos: plures uero melius, Aristotele teste, iudicant & musicæs & Poëtarum opera, ἄλλοι γὰρ ἄλλό τι μόριον (inquit) πάντα δὲ πάντες. Poëtarumq; uirtutes ingenijs quidem

dem eruuntur ad eas eliâendas acutis atq; acribus, ut q̃ uerißimè diã posse uideatur P. Virgilij notam esse gloriã, uirtutes in multis lucem interpretis desiderare. est enim diuina Aeneis profectò, tanq̃. M. Tullij illa de Oratore libro primo locuples ac referta domus, nõ explicata ueste, neq; proposito argento, neq; tabulis ac signis propalam collocatis, sed his omnibus multis magnificisq; rebus constructis, ac reconditis. quãdoquidem & Flaccũ poëtam dixisse ferũt, nõ eas se diuitias putare, quarũ recondita atq; abdita non plura essent his, quæ palàm posita sub aspectũ subijcerẽtur. Quare proferendæ in lucem atq; explicãdæ illius diuitiæ sunt, copiaq; ornamentorũ huiusmodi, non per quædã inuolucra atq; integumenta strictim aspicienda, sed contemplãda diligenter, planeq; noscenda ac uidenda est. Ego uerò, & si tantũ non cõmunium literarũ, & politioris humanitatis expers, ita parum & eruditione & ingenio ualeo, nihil ut in mediũ afferre præter bonã uoluntatem poßim: adeoq; & occupata opera, & impedito animo sum, ut minimũ adhibere quoq; diligẽtiæ ualeam, cum subcisiua tamen quædam tempora incurrant, quæ perire non patior (eripitur autem è summis etiam occupationibus aliquid) de Virgilianis quæstionibus nõnihil nuper scribere aggressus sum, cuiusmodi ferè titulo in Homerũ ipsum Aristotelem plures scripsisse libros, Diogeni Laertio credimus. Porphyriũ autem philosophum uidemus, ut tametsi nequaquam parem illius ingenio (mutabor, M. Tullij uerba) at pro nostro tamen

studio

studio meritā gratiam, debitamq; referrem, excitaremq; ætatis nostræ iuuenes saltem, ad Poëtarū principis uirtutes studiosè exquirendas, quas magni uiri sit (quod de Homero Fabius inquit) nō æmulatione (id enim fieri nō potest) sed intellectu sequi. Quæstionē tamen unā interim emittere cū statuissem, et quod habet bene planè longā, & satis litigiosam disputationē, & ut aliquod studiosis darem, qualecunq; est, cōsilij ac instituti mei testimoniū, dicandā tibi illam putaui, et ut tui me, ac P. Virgilij ciuis tui, amantißimū ac studioßimū esse cognosceres, & quòd te huius etiā rei profectò non prudentem modo, (quippe qui nūquā intermittis studia doctrinæ, in omnibusq; ingenuis artibus ita uersaris, ut excellas) uerùm etiam syncerū atq; æquißimū æstimatorē ac iudicem habiturū me esse cōfido. Tota igitur disputatio super duobus illis & uiginti uersibus est, qui iam inde ab ipsius Poëtæ decessu sublati à Tucca (ut aiunt) Varoq; ex libro secundo fuerunt. Quoniā longè aliter eadem de re Deiphobi ore tradidisse Libro Sexto uideatur, quos nō tantùm nullo pacto deesse nos, sed omnino adesse posse ac debere: contra non correctorum ipsorum modò, sed Criticorum, Grāmaticorumq; omniū, qui fuerunt pòst, doctiorumq; multorū, qui solent interdū hæc animaduertere, opinionem ac iudiciū probare tentauimus: lusisse uerò (ut inquit Cicero) putemur, si nihil sit. Vale.

Datū. X. Kal. Martias. M. D. XXXVI.
BONONIAE.

DVO ET VIGINTI VERSVS, qui à Tucca Varóq; ſublati ex libro Aeneidos Secundo fuiſſe credũtur, hi ſunt. Aeneas loquitur.

Iamq; adeo ſuper vnus eram, cum limina Veſtæ
Seruantem, & tacitam ſecreta in ſede latentem
Tyndarida aſpicio, dant clara incendia lucem
Erranti, paſsimq; oculos per cuncta ferenti.
Illa ſibi infeſtos euerſa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deſerti coniugis iras
Permetuens, Troiæ, & patriæ communis Erinnys
Abdiderat ſeſe, atq; aris inuiſa ſedebat.
Exarſere ignes animo, ſubit ira cadentem
Vlciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas.
Scilicet hæc Spartã incolumis, patriasq; Mycenas
Aſpiciet? partoq; ibit regina triumpho?
Coniugiumq;, domumq;, patres, natosq; uidebit
Iliadum turba, & Phrygiis comitata miniſtris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arſerit igni?
Dardanium toties ſudarit ſanguine littus?
Non ita: nanq; etſi nullum memorabile nomen
Fœminea in pœna eſt, nec habet uictoria laudem;
Extinxiſſe nefas tamen, & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas, animumq; expleſſe iuuabit
Vltricis famæ, & cineres ſatiaſſe meorum.
Talia iactabam, & furiata mente ferebar.

LIBRI SEXTI VERSVS QVI cum iis quos demptos ex libro Secundo fuisse credunt, pugnare videntur. Deiphobus loquitur.

-Nihil ô tibi amice relictum,
Omnia Deiphobo soluisti & funeris vmbris,
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersère malis, illa hæc monimenta reliquit.
Nanq;, vt supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti, & nimiũ meminisse necesse est:
Cum fatalis equus saltu super ardua uenit
Pergama, & armatũ peditem grauis attulit aluo.
Illa chorum simulans Euanteis orgia circũm
Ducebat Phrygias, flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce uocabat.
Tum me confectum curis, somnoq; grauatum
Infelix habuit thalamus, pressitq; iacentem
Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti.
Egregia interea coniux arma omnia tectis
Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem.
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit,
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.
Quid moror? irrumpunt thalamo, comes additur vna
Hortator scelerũ Aeolides. Diis talia Graiis
Instaurate, pio si pœnas ore reposco.

FRANCISCI CAMPANI Collensis Quæstio Virgiliana.



APTO ab Achiuis Ilio, lignei (ut Poëtarum consensus est) Equi dolo, nocte illa, quæ æternas urbi tenebras attulit, ubi uisa atq; inuenta fuerit Helena, cuius recuperandæ causa tantum conatatum est bellum, P. Virgilius diuersis in locis adeo non diuersa modo, sed cõtraria sibi ipsi tradidisse uisus est, ut à Plotio Tucca. L. Varoq;, quos Aeneidos libros emendasse constans fama est, multos ex libro secundo uersus ea de causa fuisse sublatos, nõnulli ueterũ Grãmaticorũ scriptũ nobis reliquerint, in quibus. s. Aeneas, Helenam in Priami Regia à se inuentã dicere uideatur, postea q̃ à Græcis capta, direpta, incẽsaq; fuisset, Regeq; ipso etiam hostili iam manu interempto, ubi ad Vestæ limina, & Menelai, & aliorum Græcorum pariter ac Troianorũ iras permetuens, cõfugisset. Huius autẽ rei & in Poëtæ uita, quam cõmentarijs suis præposuit, & in ijs quæ super hoc ipso secũdi libri loco scripsit, Seruius Grãmaticus auctor est. Quo factũ arbitror, ut nõnulli nostræ ac superioris ætatis uiri literati, ac studijs doctrinisq; dediti, cæteriq; omnes isti, qui in ueterũ auctorum libris emendandis, annotãdisq; studium, operã, curam suam collocarunt, duos & uiginti uersus ex libro secundo illos expungendos penitus, eliminandosq; censuerint, quasi & Poëta, si uita suppetijsset, exemptu-

rus ipse fuerit. Mihi uerò totū locū quàm maximè intentis (ut aiunt) oculis, atq; acerrimè cōsideranti, sublatis illis uersibus, nescio quid incontextum, inconsertum, imperfectumq; relinqui uidetur, & omnino aliquid desiderari. Veneris enim uerba, quibus Aeneam placat, monet atque obiurgat, sunt:

Nate, quis indomitas tantus dolos excitat iras?
Quid furis? *& cætera. totus enim locus notus est. ad quid igitur referendum illud esse dici potest?*
Quis īdomitas tātus dolor excitat iras? *si amoueatur*
Exarsere ignes animo, subit ira cadentem
Vlcisci patriā et sceleratas sumere pœnas. *ad qđ itēct*
Non tibi Tyndaridis facies inuisa lacænæ *(illud?*
Has euertit opes. *si hoc non acciderit,*
Tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio? *cur et illi, à quo iā uix audiuimus,*
Subiit chari genitoris imago
Vt Regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem, subiit deserta Creusa,
Et direpta domus, & parui casus Iuli. *statim à Vene*
Quo nam nostri tibi cura recessit? *(re dicatur,*
Non priùs aspicies vbi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? superet coniunx ne Creusa,
Ascaniusq; puer? *& reliqua plena grauitatis, plena auctoritatis, plena deniq; salutis. sed cur ante omnia Aeneam Venus*
Dextraq; prehensum
Continuit? *si non ob id quod præcedit,*

Et

Et furiata mente ferebar. *Sic illum enim qui non iret, sed ferretur, oportuit, tam & si quid. Ti. Donatus dicat non ignoramus, solus ipse enim sic locum interpretatur, quasi uersus illi abesse & poßint & debeãt: cæteri uerò omnes, ut eximi debere fateantur quidem, uix posse tamen ostendant, de quo posterius dicemus. Non fit autem, ut Arist. testis est, sine morsu doloris Ira. unde & Rhetoricæ artis libro secundo* ἡ μὲν γὰρ ὀλιγωρία *(inquit)* ἄλυπος, ἡ δὲ ὀργὴ μετὰ λύπης. *& alibi, quid ira odio intersit ostendens, ait* ὁ μὲν γὰρ ὀργιζόμενος λυπεῖται, ὁ δὲ μισῶν οὔ. *quod sæpe etiam in Ethicis. sic uero & ab eodem in Rhetoricis definitur,* ὄρεξις μετὰ λύπης τιμωρίας φαινομένης διὰ φαινομένην ὀλιγωρίαν τῶν εἰς αὐτὸν, ἢ εἰς αὐτοῦ τινὰ μὴ προσηκόντος. *unde & Tyrrhenus Tarchon lib. xi. lentitudinis (ea iræ uacuitas est) atque inertiæ milites accusans.*

O nunquam (*inquit*) dolituri & semper inertes Tyrrheni. *iracundiam enim ipsam Peripatetici fortitudinis cotem esse dicunt, quin etiam uideri uirũ negãt (inquit Cicero) qui irasci nesciat. Bene se igitur habet,*

Tantus dolor excitat iras? *sicuti & in primo,*

Causæ irarum, sæuiq; dolores. *& libro nono,*

Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet. *ea uero si exarsit acrius, furor appellatur (inquit Seneca) ex quo sequitur,*

Quid furis? *Quemadmodum & ad Neptunum Venus libro quinto cùm dixisset,*

Iunonis grauis ira, *addidit pòst,*
Causás tanti sciat illa furoris. *unde & furenter irasá, & iracundia furere, apud. M. Tullium legimus. Quoniam igitur non iratum Aeneam modò (quod Veneris castigatio demonstrat) sed furenter etiam iratum tunc temporis fuisse concedimus, Iracundiæ seu furoris huius originem, hoc est, efficientem causam, profectò ut uestigemus ante omnia necesse est. si uerò duos illos & uiginti tolli uersus patimur, ũde hæc Aeneæ ira subitò? ũde hic furor extiterit? uerba enim illa quæ præcedũt,*
At me tum primùm sæuus circunstetit horror,
Obstupui, *& cætera. longè aliter (ni fallor) innuere uidentur, Aeneam .s. (nec nulla de causa profectò) in illo ipso acerbissimo, miserrimoq; spectaculo, metu uehementer exhorruisse. Itaq; dubitans, circunspectans, hæsitans, stupore atq; horrore perfusus, socios ipsos requirebat, à quibus cùm derelictum sese uidisset, augeri merito etiam timor potuit. Illud ergo quod sequitur.*
Deseruere omnes, *& cætera. nequaq̃ tantùm illum Aeneæ dolorem obiecisse dici potest; ut furere magis quàm irasci uideatur: quin timorem, terroremq; potius auxisse, ut Venus ipsa profectò, quid perterritus es nate? quid times? cur exhorruisti? potius dicere, quàm, quid tantum doles, irasceris, furisq;? debuerit, quò non ab iracundia illum & dolore, ad lenitatem misericordiamq; reuocaret, sed deduceret perterritum à timore: eum uerò qui in huiusmodi perturbatione constitutus esset, tam subito tempore nulla de causa, in uehementem*

illam iracundiam furoremq; prorupisse, omni prorsus ratione caret. Cùm ira enim atq; excandescentia, timiditati contrarij affectus sint, ut Arist. *proble. sectio. octaua docet, uix fieri posse uidetur, ut eodem tempore quis & iracundia efferatur, & in timore sit, algeat atq; aestuet, palleat ac rubeat, quae timẽtibus accidũt atq; iratis, quin potius* ἀδύνατον *(inquit ille)* ἅμα φοβεῖσθαι καὶ ὀργίζεσθαι. *Quare & in eos, quos timemus, placatos nos esse dicit: quoniam .s. q̃diu sic affecti sumus, non irascamur, & iracundiam cõprimi facilè ac restingui, non aqua modò frigida largè, quae calorem extinguat offusa, uerùm etiam oblato metu posse: cui et* Plut. *assentitur in* Dialogo περὶ ἀοργησίας. *Iram uerò ipsam non appropinquans aliquod, uel potius iam impendens, ac praesens malũ, aut periculũ quidem gignit, sed contemptio, despicatio, illusio, contumelia, & caetera quae in simili genere uersantur: quemadmodum in* Ethicis *ac* Rhetoricis *ab* Aristo. *scriptum legimus, quorum sublatis illis uersibus, ne uestigium quidem hac parte inuenias. In huiusmodi motu animi* Aeneas *igitur, in horrore uidelicet & stupore, insidenteq; ipsius in mente cogitatione illa, quam dicit,*

Subit chari genitoris imago, *& caetera. irasci nullo modo poterat, nisi aliquid aliud accidisse postea, quod discusso metus frigore, stuporisque torpore, in iram, atque adeò furorem istum potius, illum repentè prorumpere, atque exardescere compulerit, quod quidem sublatis illis uersibus extare nusquam*

iam

iam diximus. Præterea cum semper ira περὶ τὰ καθέκαστα, *ut ex definitione patet, sit, cui nam, si non Helena illi in oculos incurrisset, iratum* Aeneam *tunc temporis fuisse dicemus? nisi forte simile ueri uideatur, solum illum ibi eo loco ac tempore relictum, cùm obtruncatum iam* Priamum, *hinc uerò igni se, hinc æternis hostium circunfusum uideret, nullis suffultum copijs, priuatum omni auxilio, contra ipsos* Græcorũ *Principes incensum inflãmatumq; fuisse, quod* Donatus *fortasse putarit inquiẽs:* Vltionem *quam reperire non potes, ingrato labore sectaris, dumq; uana & non profutura prosequeris, curam nostri è tuis sensibus reiecisti.* At *audire* Aristotelis *uocem tamen uideor, qui* Rhetoricæ *artis libro primo,* οὐδεὶς γὰρ (*inquit*) ὀργίζεται περὶ ἀδυνάτου φαινομένου τιμωρίας τυχεῖν, οὐ δὲ τοῖς πολὺ ὑπὲρ αὐτοὺς τῇ δυνάμει, ἢ οὐκ ὀργίζονται, ἢ ἧττον. *unde & nusquàm nõ doctißimus atque intelligentißimus poëta libro .x. de Troianis, qui uallo inclusi, ui, ferro, metu obsesßi à* Rutulis *tenerentur, uiso iam* Aenea *atque eius classe dixit:*

Spes addita suscitat iras. *Cùm uerò quæ facultatẽ efficiẽdi nõ habere uideãtur cupiat nemo, et iratũ ipsum quoq; quæ à se fieri tãtùm poßint concupiscere. philosophus idem secundo scriptum libro reliquit, unde & cuiuis iræ uoluptatem quandam comitari, ab ultionis spe manantem, asserit. Iucũdum enim (inquit) est, si quis ea, quæ desideraucrit, adepturum se confidit.*

hinc

hinc & ab Homero recte de ira Iliados 3. dictũ esse.
Ὥστε πολὺ γλυκίων μέλιτος καταλειβομένοιο ἀνδρῶν ἐν στήθεσιν ἀέξεται: *tametsi neq; sanationis eius ratio, quam hoc tempore Venus adhibet, admittere id posse uidetur, quæ dicit:*
Non tibi Tyndaridis facies inuisa Lacænæ, *& cætera. Ipsos enim illos Principes metuendos ei potius (ut certè erant) ostendere, quàm ad Helenam adeò intempestiuè, adeò suspiciosè transeundo, in causa illam non fuisse dicere debuisset, iuxta non Arist. eiusdem magis, q̃ naturæ ipsius uocem atq; præceptũ. Non modò non talis igitur (ut iam diximus) in horrore uidelicet & stupore, quæ timoris seu partes, seu signa sunt, Aeneas, nec misera illa ac flebili specie, cogitationeq; perturbatus: sed nec talibus, Græcis Ducibus atq; Principibus, quorum quãto potentia maior, tanto minor illi spes ultionis apparebat: quippe quàm neque ipse per se, nec suorum auxilio consequi posset, nec tali fortasse de causa, sine ulla profectò Ducum ac principum ipsorum, in ipsum illum aut suorum aliquem, despicatione ac contemptu, quo ad iracundiam animus allici deberet, omnino irasci potuit. Quare ut in Helenam tunc temporis incensum illum inflammatumq; fuisse dicamus, prorsus necesse est. Quod & Aeneæ ipsa satis, & Veneris uerba demonstrant, quam quidem ut filij motus atque impetus quò pertinet, intellexisse simile ueri uidetur, ita de Helena dicturam eo quicquam tempore fuisse, nequaquàm, nisi momento illo temporis, in ipsam crudelius*

Aeneas quid atq; acerbius consuluisset. non petita enim quædam (ut dicitur) excusatio illa futura erat, de qua Donatus ait, ea propter Helenam excusasse, ut se ipsam etiam eodem tempore excusaret, cui talia quoque dici possent, ut hæc pateremur, tu fecisti. quã quidem Terentianum etiam illud sequitur, Nescio quid peccati portet hæc purgatio. quemadmodum neque tantas Aeneam super illa concepturum iras, nisi sic latens tunc ei in manus improuiso incidisset, cùm inopinato faciei illius, ex qua tot lachrymarum origo fluxisset, aspectu commotus est, cuncta statim cogitatione illi suggerente, quæ dicit:

Scilicet hæc Spartã ĩcolumis, patriasq; Mycænas
Aspiciet? partóque ibit Regina triumpho?
Cõiugiumq;, domumq;, Patres, natosq; videbit
Iliadum turba, & Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardaniũ toties sũdarit sanguine littus? *& cætera.*

Quibus & contemptio & despicientia ostenditur, aliaq; feminis eius generisq; nonnulla, quæ iræ (ut iam diximus) efficientia sunt. Sic enim odium quod in absentem nec dum uisam Helenam, inclusum prius sensibus habere Aeneas potuit, quemadmodum & cæteri Troiani, quin etiam & Græci, unde illud:

Tyndaridis facies inuisa Lacænæ. *Neq; enim tibi inuisa accipiendum, uni .s. quæ omnibus esset, sed tibi has opes euertit, iuxta id quod Aeneas dixerat ante:*

Et quorum pars magna fui. *in iracundiam statim*

concepit

cõceptis huiusmodi animo uisis, quas φαντασίας uocãt, adeò cõuersum est, ut stupiditatẽ omnem, timoremq́;, & (quod irati proprium, sed magis furentis est) parentis, uxoris, nati, propriæ deniq; salutis curam posthabuerit atque abiecerit. Quemadmodum enim timens non irascitur, quod abundè suprà probatum iam est, ita nec timet iratus: unde & Philosophus, οὔτε γὰρ ὀργιζόμενος, (inquit) οὐδεὶς φοβεῖται. causa autem (ut opinor) quod cum de futuro timor sit, illos qui in fortitudinis affectu, puta in ira uel fiducia sunt, de futuro non habere rationem dicit in his, quæ de misericordia tractat. His igitur de causis iratus, huiusmodi iracundia commotus, atque inflãmatus Aeneas, effrènatiùs in Helenam inuasurus rapiebatur, nisi tempestiuè Venus apparuisset, quæ non alia de causa manu ipsum præhendit ac tenuit. hinc illud eius est.

Quo nostri tibi cura recessit? quasi dicat, quæ tibi modò pectus tetigerat, non autem quæ tibi esse aut debebat aut solebat. illo enim ipsomet tempore, post Priami casum, atque ante uisam Helenam, statim cogitatio illi διὰ μνήμης ut Aristotelis uerbis utar, orta, mẽtem eius domum reuocarat. Helenæ postea aspectus, conceptaq́; ex eo iracundia, abstraxerat atq; reflexerat. Hinc conatui iracundiæ filij sedando certa illa nimirum, ac propria sanatio adhibita, cum non Helenæ, licet cunctis inuisam, formam ac speciem tanti imperij, tantarum opum, atq; urbis deletricem, sed superûm crudelitatem dixit. nec dixit modo illa, uerùm etiam,

ut in re præter auditoris ſenſum penitus, atq; opinio-nem, ſublatis impedimẽtis omnibus, Aeneæ ipſius ocu-lis ſubieĉt. ex quo non modò non tantopere in eam ſæ-uiendum atq; iraſcendum, ſed nec diuinæ etiam uolun-tati repugnandum eſſe, ſignificatione illum occultiore ſubmonet: & nedum Helenam, *in quam nec opinatò repertam, tam irato tunc ferebatur animo, ſed ne Pari-dem ipſum quidem, quantumuis communi uitupera-tione culpatum, cuius profectò aut omnis, aut maior omnino culpa, quàm mulieris erat.* Hic *enim ille mihi ex argumentis locus, quo minora ex maioribus colli-guntur,* ἐκ τοῦ μᾶλλον καὶ ἧττον, Ariſtoteles *inquit, atque ad hoc nominatus* Paris *eſſe uidetur, qui non modò inter* Aeneæ *manus tunc ut* Helena, *ſed ne inter uiuos iam amplius quidem eſſet,* Philoctetis *(ut eſt apud* Lycophronem*) ſagitta interfectus, longeq; uali-diora ijs, quæ ab* Aenea, *uerſante huc & illuc cogi-tatione rationem, adducta priùs fuerant, opponens: quæ cùm ad id loci uenerimus, etiam commodiùs expli-cientur. Sic demum omnia cohærent atq; inter ſe con-ânunt, nihil quod deſiderari poßit amplius ſupereſt, nihil non eruditionis, nihil non uirtutum omnium ple-num eſt, atq; refertum: ut quemadmodum nihil magis hoc loco neceſſarium, ita politius atq; abſolutius his uerſibus aut inueniri, aut excogitari nihil poßit. de quorum tamen uirtutibus nobis iterum adhuc & tertiò ſeſe offeret dicendi locus. Quibus quidem rationibus aptißimè colligi poſſe mihi uidetur, etiam ſi aliquo*

errore Poëtæ repugnantia hæc contingere uideri posset (cui ne ipse quidem rei assentior) eam tamen plagam potius accipiendam, q̃ uersibus huiusmodi resecatis, totum locum inquinandum esse. contradictio enim ipsa aliquid disputationis habet, hoc uerò tolerabile non est. Quantum autem ad Tuccam ipsum spectat, Varumq́; haudquaq̃ hosce equidem uersus sustulisse eos puto, sed id pro commodo commentos ueteres sibi esse Grammaticos: quippe qui quæstionis huius solutionem omnem desperassent, cùm & in quibusdam alijs huiusmodi satis constet illos esse mentitos: ut auctor uitæ Virgilij, quæ Aelij Donati nomine circunfertur, cùm librorum inquit ordinem ab ijsdem correctoribus fuisse mutatum, quo quid est, quod minus uerisimile credibileq́; dici, aut excogitari potuerit? Sed occurrit illud quoque, uersus ipsos in aliquot editionibus non inueniri, quæ tamen si Grammaticis ijs, qui hoc tradidere, posteriores fuerunt, contemno earum fidem, quippe quæ ab isto fonte profluxerint omnes atque dimanauerint. Si uerò antiquiores, & nihil moueor, quia multò pauciores eæ, nec meliores erunt. Et alioqui nihil miror, quoniã id non in Virgilij solùm, sed in aliorum magnæ auctoritatis ueterum Poëtarum libris, interdum contingere consueuit: cùm tamen satis constet plerosq́;, in quibus illi minimè reperiuntur, codices, qui nunc pro antiquißimis, & quasi Archetypis habentur, ijs fuisse, qui hoc tradidere, Grammaticis posteriores. Concedamus tamen hoc Poëtarum Tuccæ Variq́;

riq́; præiudicium extitiſſe, in quorum ſententiam non Grammatici modò pòſt,ſed librarioli quoq; ipſi tranſierint: non tam auctoritas in hoc iam, q̃ rationis momenta quærenda ſunt: neque id quod correctores huiuſmodi uoluerunt,aut opinati ſunt, ita fixum eſſe debet, ut nulla conuelli ratione liceat. Dicant *igitur iſti mihi, cur non potius illos ex ſexto, q̃ hos ex ſecundo uerſus* Tucca *&* Varus *exemerint. atqui non magis librum illum* Poëta, *q̃ ſecundum emendauit, quin eorũ potius,quæ à* Critias *culpãtur interdũ,maior ferè pars in eo notata libro reperiuntur, ut uel hoc argumento uideri poßit, errorem (qui cuiuſmodi ſit iam uidero) in ſexto potius,q̃ in ſecundo fuiſſe ſuſpicandum: præſertim quod de hac* Helenæ *proditione,quæ* Deiphobus *dicit in ſexto, cæteri* Poëtæ *minime tradiderunt.* Quæ *uero li.* II. Aeneas *ait (ut ſuo loco uidebimus) cum iſs, quæ tradita ſunt ab aliſs,planè conſentiunt.* Quid *quòd ſi decem & octo inde uerſus eximas, & aliquanto minor erit uerſuum iactura, & oratio cohærebit, & nihil prorſus deſicièt, aut deſiderabitur: quod hac parte nequaquàm accidere,luce clarius eſt, hoc modo ſaliat:*

At me fata mea, & ſcelus exitiale Lacænæ
His merſere malis,illa hæc monimenta reliquit,

ut ſequatur ſtatim,

Sed te qui viuum caſus? *& cætera.tanq̃ multa ſint quæ in hanc rem de* Helena *dici poßint,referre tamen ea pigeat pudeatq́;,præciſa uideliæt,uelut ante legitimum*

mum finem oratione: non autem retiœntia illa, quæ ſit imperfecti ſermonis (ut Fabius ait) ſicuti & Sinon in libro ſecundo:
Sed quid ego hæc autẽ nequicq̃ ingrata reuoluo?
Quibus quidem & Aeneæ ad omnia reſponſum erit, & in hoc quid factum ſit Deiphobus dicet, non autem quemadmodũ factum fuerit enarrabit, quod illius etiam pudori fortaſſe conuenire magis uideatur, quòdq; in his etiam feciſſe eum conſtat. cùm dixiſſet enim infrà,
Irrumpunt thalamo, comes additur vnà
Hortator ſcelerum Aeolides, *infert ſtatim,*
Dii talia Graiis
Inſtaurate, pio ſi pœnas ore repoſco. *totam enim caſus ſui calamitatem præterijt, præ pudore nimirum rem, licet iam cuiuis perſpectu haud difficilem, dicere reformidans atq; refugiens, Vlyßis conſilio, Menelai manufactam. & hoc enim quæſiuerat Aeneas prius cùm dixit,*
Quis tam crudeles optauit ſumere pœnas? *& quæ ſequuntur. Verſus autem tam ex ſecundo hos, quàm ſexti illos Poëtæ eſſe, licet negarunt nonnulli, Ariſtarchum forſan imitati, qui Homeri (ut Cicero inquit) uerſum negat, quem non probat, Doctiores tamen confitentur, & conuincerentur ſi negarent. Sed propterea hos potius eximendos dicent fuiſſe, quàm illos, quoniam turpe (ait Seruius) uiro forti, qualem Aeneam profectò Poëta ubique introducit, contra fœminam iraſci: ualidißima profectò ratio, qua non pulcherri-*
mum

num locum modò, ſed totum librum iis demptis uerſibus commaculemus, tametſi duplex in una re Poëtæ *nec contemnendum quidem illud peccatum eſſet, ſi & parum decentem morem, & ſibi nõ conſtantem, atq; inæquabilem induxiſſet.* Vt *mittam autem q, ſi furens Aeneæ hæc in mulierem iracundia, contra dignitatis atque exiſtimationis eius rationem accidiſſet, quem* Poëta *ad omnem uirtutem, dignitatem, gloriam, finxit atq; formauit, in* Græcos *ipſos* Duces *ac* Principes *illa, non ex acriore dolore, ſed ignorantia ſui, temeritate atque amentia, furor quidam potius extitiſſet: & cùm non modò nullam prorſus haberet ulciſcendi uim, ſed ne ſibi ipſi quidem opem in extremo diſcrimine ac dimicatione uitæ, ferre ualeret (quare & diuinum* Poëtæ *auxilium introducendum fuit) ridiculi potius quàm terribilis appellationem, iuxta* Platonis *diuiſionem illam ex* Philebo, *ſubijſſet, contra quam in.* X I I. *cùm*

Furiis accenſus & ira
Terribilis, *ait*,
Tú ne hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? *ut totam iſtam rationẽ inquam omittamus. aut taxandus* Poëta *non eſt, ſi* Aeneam *paulò etiam longiùs quàm fortis ac ſapiẽtis uiri cogitata ratio poſtulaſſet, progreſſum induxit, & ferocem animo iuuenem, & pio dolore, ac iuſtißima iracundia, ad expetendas crudeliſsimi ac luctuoſißimi patriæ excidij pœnas, excitatũ, atq; inflammatum (principium enim,*

ut Plutarchus ait, ad iram animum impellens atque incendens, culpa magis eum liberat, qui maiore causa ueluti uulnere grauiore accepto à uirtute desciuerit. & de fœmina quidem illum, sed de ea tamen fœmina, quæ Troianis causa belli, causa pestis, atque exitij fuit, & quæ ita se obtulisset ut in eam non inuasisse, sed incurrisse illum constet. solum etiam tale cogitantem, ac meditantem facinus, remotoq; ab arbitris loco, si hoc aliquid quoq; ad rem pertinet, quod apud Platonem eundem Socrates asserere uidetur de Repu. li. X. & qui negociũ, quod amens consiliarius iracundia dolórq; dictabat, postrà tamen non transegerit, sed castigatione adhibita, officij finibus se continuerit: aut totus quartus liber ille delendus, in quo non iræ eum iam, sed cupiditatum eius seminis generisq; intemperantiorem facit, quæ longè turpiora iracundiæ incontinentia esse, multis ualidißimisq; rationibus conuincat Aristoteles Ethicorum li. iij. Imitatrix autem Poëticæ est quædam morum uitæ ac hominum, ut Plato atq; Aristoteles docent: non tam perfectæ tamen cumulatæq; uirtutis, ut ne uel tantulum de recta regione deflectant: sicuti Plutarcus in eo li. scriptũ reliquit, cui titulus πῶς δεῖ τὸν νέον ποιημάτων ἀκούειν. nec semper mores Poëtæ ad disciplinæ præcepta perpendunt, uerùm ad communis humanitatis sæpe etiam rationem dirigunt: nec quales tantùm esse homines oporteat, sicuti Sophocles, uerùm etiam interdum quales sunt, quod de Euripide dicũt, effingere solẽt, quod quidem tantùm abest ut uitij culpam

culpam subeat, quod tanq̃ & ad persuadendum, & ad commouendum, & ad perturbandum, atque irritandos animos prorsus necessarium, ab ipsomet Aristotele in Poëtica praecipi mihi uideatur, necnon & ab Horatio in arte, cùm ait,

Respicere exemplar vitae morumq́; iubebo
Doctum imitatorem, & veras hinc ducere voces.

ueras enim inquit, non ad exactam illam sapientiae Stoicae rationem fictas, quam mortalis adhuc consecutus est nemo, cuiúsque solidam & expressam effigiem nullã tenemus: sed ex ipsis naturae ac ueritatis exemplis ductas, atq; ex ijs, quae sunt in usu uitaq; cõmuni. In hominibus uerò, licet quantum homines possunt naturam optimam uiuendi ducem assequantur, non semper ratio praeest, appetitui uerò iraeq́; obtemperat, in iunioribus praesertim, quos quidem quoniam contemni se ac despiciã, honoris cupiditate, qua laborãt maximè, non sustinent, sed aegrè ferunt, cùm iniuriâ se affici putant, iracundiam nec regere, nec continere posse, Arist. testis est. Sed quis obsecro Aenea ipso melius (nã quid Poëtam hoc loco ipsum dicam?) id quod obiectum est intelligit? non modò restinctis iam animorum incendijs, ubi rem transactam & praeterita multò pòst Didoni enarrans ait:

Talia iactabam, & furiata mente ferebar. *Sed tum, cùm in media haereret iracũdia atq; furore, inquiens,*

Et si nullum memorabile nomen
Foeminea in poena est, nec habet victoria laudem.

in eo tamen Poëta nimirum & doloris illo tempore magnitudinem, quo Aeneæ animus ardebat, ostendere, & qualis Iracundiæ uis, ac natura sit, in illius persona exprimere uoluit. Videtur autem audire quidem rationem ira, ut Arist. Ethicorum. VII. li. docet, non plenè tamen perfectéq; audire perinde ac ministri, qui ueirociores sunt. Qui priusq̃ id quod dicitur totum audiuerint, præcurrentes, aberrant in re agenda pòst: similiter & canes, qui priusq̃ amicum internoscant, modò obstrepuerit, latrant: sic propter calliditatem ira uelocitatemq; naturæ, audiens illa quidem mandatum tamen non intelligens, rapitur in ultionem: ratio enim seu phantasia, contumeliam esse contemptúmue significat; hæc autem cum quasi ratiocinatione collegerit, eundum obuiã esse, statim insurgit, acciditq; tunc quod Demosthenes scriptum reliquit. siquis repentè considerationem præcurrens efferatur, eum ὑβριστικῶς agere necesse esse, quod δι' ὀργὴν Plato (ut Galenus testis est) dixit: hinc & incontinentiam iræ minus esse quàm aliarum cupiditatun turpem, Aristoteles idem (ut diximus) existimat: sunt enim cupiditates ferè omnes contra rationem, ira uerò cum ratione: non ita cum ratione tamen, ut ratio imperet, sed inuectam cõtumeliam, ausamue significet, sicuti Proble. etiã Segmento. XXVIII. scriptum reliquit. Ira uerò quatenus & quomodo rationem ipsam audiat, mirè his uersibus Poëta demõstrat. illorũ enim omniũ speciem obiecisse ei phãtasia uidebatur, quæ suprà recitata sunt à nobis,

Scilicet

Scilicet hæc Spartã incolumis, patriasq́; Mycęnas
Aſpiciet? *& cætera. Quibus illa quidem uix dum auditis, commota ſtatim inſurgit, inquiens:*
Non ita. *Quoniam autem obijcere eidem rurſus ratio potuiſſet, ui fœminam manuq́; aut ſuperare ac uincere, aut ulciſci & punire, nec uirile, nec laudabile: eniti enim aduerſus id quod longe infirmius ſit, ſtolidum atq; iniquiſsimum potius eſt, inquit* Ariſtoteles, *audita quaſi uoce rationis ira, quæ cùm ſemel antegreſſa illam eſt, poſteà non facilè ſubſequitur, nihilominùs ulciſcendum eſſe, rationes opponens, nec probabiles fortaſſe, nec ſatis idoneas colligit atq́; conſtituit.*
Extinxiſſe nephas tamen, & ſumpſiſſe merentis
Laudabor pœnas, animumq́; expleſſe iuuabit
Vltricis famæ, & cineres ſatiaſſe meorum. *Huiuſmodi enim rationibus,* ἀνιηκταλλάττει δὲ ἀλληλοῦντα *uidetur, qui locus apud* Ariſtotelem, *per quandam (ut ita dicam) permutationem, compenſationemque, diluenda eſt diſſoluendaq́; calumniæ. Si non laudabor enim (inquit) in illo quòd fœminam, at laudabor tamen quòd merentem ultus ſim, & quòd non nephariam fœminam quidem, ſed infeſtum quoddam ac immane nephas, ſcelus, ac facem extinxerim, atque deleuerim: & ſi decus inde mihi ac nomen non comparabo, (neque enim fortitudinis opus id uel indicium eſt) at uoluptatem conſequar tamen, quòd meorum cineri ſatiſfecerim. Et cùm duo diuerſa iam dixiſſet in illis,*

Subit

Subit ira cadentem
Vlciſci patriam, & ſceleratas ſumere pœnas. differunt enim ultio & pœna, ut Ariſtoteles docet Rhetoricæ artis libro primo, ἡ μὲν γὰρ κόλασις τοῦ πάσχοντος ἕνεκά (inquit) ἐστιν, ἡ δὲ τιμωρία τοῦ ποιοῦντος ἵνα πληρωθῇ. utrumq; hoc loco Aeneas attigit, huiuſmodi (ut opinor) inita ſubductáq; ratione, ſceleſtam ac merentẽ punire iuſtũ eſt, iuſtũ autẽ omne laudabile: unde & laudabilem iracundiam, pro iuſta dixit in Seſtiana. M. Cic. & quemadmodum iuſtitia fortitudini præferenda eſt, ita id quod iuſtè, eò quòd fortiter fit, magis (ut Philoſophus ait in Topicis) eligendum. Vindicare uerò & Patriæ & Ciuiũ meorum cineres, non laudabile modò (ſi & perferre contumelias, & ſuos negligere, ſeruile eſt) uerùm dulce atq; iucũdum. id enim adipiſci iucundũ, cuius fruſtratio eſt triſtis: irati uerò niſi dolorem ſuũ ulciſcantur, magnopere anguntur: ſperantes autem, iucunditate quadam (ut diximus) perfunduntur, ut ſi quãdo cõſecuti ſint id quod eis fuerit concupitum, maiorem alacritatem ferant. unde & Ethicorum li. iiij. ἡ γὰρ τιμωρία (inquit) παύει τῆς ὀργῆς, ἡδονὴν ἀντὶ τῆς λύπης ἐμποιοῦσα. Rapiẽte igitur ad ſe iracundia rationem, ad Deum profectò confugiendum Poëtæ fuit: quamobrem rectè illum apparere ex improuiſo hoc tempore Venerem feciſſe dicendum eſt, nec Spartanæ tamen uirgini, aut uenatrici ſimulatam, ſicuti poſt Troianum excidium quidem, ante hunc ſermonem uerò Carthagini habitum in Libyæ

desertis fecerat, sed quæ se deam planè confiteretur, talemq;, Qualis videri
Cælicolis, & quanta solet, *ostenderet, ut Aeneam ab eo quo ferebatur impetu, iræq; furore, à factoq; crudeli & turbulento, damnum ac dolorem allaturo, ad rectam rationem, nec ad iucundum modò, uerùm iustum, atque debitum, utile, nec minus necessarium, officium reuocaret: atque inde illum (quod nulla quidem aliter fieri ratione poterat) tutum educeret, non modò non esse in* Helenam *adeò iniquè sæuiendum, uel cum Dijs ipsis potius pugnandum ostendentem illi: uerùm ualidiores etiam rationes suis ipsius rationibus opponentem, cùm ait:*

Non priùs aspicies vbi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? *& quæ sequuntur. quandoquidem incensam iam patriam, extinctum iam* Priamum, *amissos ciues ac socios uindicare: parentem uerò senio confectum, coniugem, ac natum adhuc puerum, trucidandos hosti relinquere,* Helenam *quantumuis scelestam ac merentem punire, immerentes uerò ac pios Dijs etiam gratos atq; coniunctos (unde illud,*
Quó nã nostri tibi cura recessit?) *non tutari, sed desertos potius esse pati, fœminæ, cui nocere uiro forti indecorum ac turpe est, uim ac necem inferre: ab illis autem, quibus non succurrere turpissimum, parente, filio, ac uxore, non repellere breuem ultionis dulcedinem, cum perpetuo dolore, ac incomparabili iactura commutare, id stolidi quidem certè ac uerè furentis erat.*

Argumentum

Argumentum uerò Aeneæ illud ἐκ τῶν πρὸς ἄλληλα falsè ratiocinationis deceptionem παρὰ τὴν ἔλλειψιν habet: scelestam enim ac merentem pati iustum quidem est, at non Helenam ab Aenea, mulierem à uiro non animo solùm & uirtute, uerùm etiam pietate præcellenti, non tali loco, inter aras & focos, atque adeò in deorum ipsorum conspectu: at non in illo temporis articulo, cùm Helenæ mors nihil iam esset amplius profutura, mora autem omnis uel minima, & suis omnibus obfutura, de quibus Venus dixit,

Quos omnes vndique Graiæ
Circum errant acies, & ni mea cura resistat, (cùm tua .s. aliò tam repentè traducta sit)
Iam flammæ tulerint, inimicus & hauserit ensis.

inter quos Ascanius puer erat,

Cui regnum Italiæ Romanaq; tellus (ut Poëta inquit) deberetur, & sibi etiam maximè, cui propria salus prodenda non erat. Qui enim aliorum custos sit, cum sapientes sui primum capitis aiunt custodem esse oportere, inquit Cicero. Satis igitur persuasum esse debet, pulcherrimos sanè, ac uerè Virgilij uersus deesse ijs, quæ illos exemplaria non habent, nec ab huiusmodi alienorũ librorũ correctoribus, atq; emẽdatoribus adeò temerè delendos fuisse, tametsi Iliados .I. et Aristarchũ ipsum Grãmaticũ tali quopiã quo & nostri metu perculsum, uersus aliquot expunxisse, apud Plutarchũ inuenio, in quibus Phœnix de parente interficiendo, iratum olim ac iuuenem se, ob furiales eius execrationes,

cogitasse

cogitaſſe fatebatur, cùm pelliœm tamen ſenis ipſe priùs, impellente atq; urgente matre, conſtupraſſet. Quos, cùm ſi pereant quidem nullum prorſus loco illi relicturi deſiderium ſui ſint, & aliquid inter mulierem profectò, parentemq́;, atq; ipſas etiã cauſas, interſit, non adeò intempeſtiuos tamen eſſe Plutarchus cenſet, ut ab Ariſtarcho fuerint propterea iugulãdi: ſi modò Achillem quis Phœnice olim præceptore uſum conſideret, qui iiſdem ſolitus ſit ignibus exardeſcere: nam ad perſuadendum placandumq́; Achillem illos tunc temporis prudentiſsimè adhibitos, ſatis oſtendit in libro πῶς ἄν τις διακρίνει τὸν κόλακα τοῦ φίλου. Sed miſſa nos Homerica faciamus, ad Virgiliũ redeamus. reſtituantur inquies ſuo loco uerſus, quando ita neceſſe eſt, ignoſcatur Aeneæ, quoniam faciliùs quàm Phœnici poſſe uidetur: Poëtæ uerò, qui non ſecum minus ipſe pugnet, quàm cum correctoribus atque emendatoribus iſtis, tu quomodo ignoſcas? atqui iampridem huc nos fremitus (ut ille inquit) uocabat. Quid autem ſi quis nullam fortè in his contradictionem eſſe dicat? aut ſi minùs tueri poſsit id, cùm eſſe confiteatur quidem, non imprudenter tamen eſſe, ſed conſultò à diligentiſsimo Poëta factum oſtendat? ut rectè etiam inquies, atque ex arte defendat. deterius enim quid eſſe uidetur, facere aliquid, quod ſcias non licere, quàm omnino neſcire quid liceat. Aut nullam igitur in his repugnantiam eſſe, aut ſi ſit, tamen conſultò id à Poëta, ac ſecundum artem factum probandum nobis eſt. & Grammaticorum

maticorum profectò, commentariorumq́; officium illud est, si quando Poëta loqui pugnantia uideatur, ea non eximendis uersibus, sed exponendis rationibus concordare, & linum (ut dicitur) lino connectere. nec sunt enim multa plerumq́;, quæ uidentur esse contraria, nec indecens interdum, aut contra artem est, à Poëta cōtraria audire, quod infrà planißimè ostendemus. priùs ergo ut uideamus an aliqua in his sit repugnantia necesse est, deinde utrùm ex eo genere uideatur, quæ poëtico iure defenditur. Vrbe igitur iam, atque urbis & Priami Regis arce non modò capta atq; oppressa, sed excisa atque euersa, Aeneas Helenam in eodemmet loco repertam, in quo iam inde à principio & mariti & reliquorum Græcorum ac Troianorũ metu affecta, sese occultauerat, uidisse dicit: nec uidisse modò, sed ira census, ac dolore animi incitatum, interficere eam uoluisse, necaturum etiam fortasse, nisi Venus ita animatum eum prorsus continuisset. sed de singulis uersuum ipsorum sententijs breuiter dispu tandum est, ait autem:

Iamq́; adeò super vnus eram. *solus inquit supereram, etiam Priamo ipso uidelicet ferro, nedum ijs quibus in periculum capitis, atq; in uitæ discrimen sese inferre opus, fuit extincto, ut si è manibus meis Helena, ac ferro esset elapsa, à Troianis prorsus iam tuta esset.*

Cum limina Vestæ

Seruantem. *hoc est solam eo loco inclusam atque abditam (ea enim in uerbo uis esse uidetur) &*

Secreta in sede. *in qua & incolumis seruata ad extremum*

tremum propè iam & exâdij, & noctis erat, & seruari in breuißimum illud quod supererat scælè tempus poterat. latentem autem & tacitam, quippe quæ non tam muliebrem quendam ac neceßarium metum sibi, quàm diligens quidem atque anxium conseruandæ uitæ studium ac desiderium, sic delitescendo præ se ferre uideretur.

Tyndarida aſpicio. *præter expectationem meam, omnino uiuam atque incolumen, uiuere etiam cupientem ac ſperantem, unde & doloris illi atque iracundiæ cauſa omnis atque origo, cui indignißimum scælus uideretur, ſi quæ ſola deliquerat, cui omne ſupplicium, atque omnis iure optimo pœna deberetur, immunis ſola ab omni uexatione fuiſſet, atque ex communi incendio, quod ſola conflauerat, ſola incolumis euaſiſſet: nec euaſiſſet in horam uſque eam modò, quod fieri uix potuiſſe in tanto omnium odio, ac urbis naufragio uidebatur, ſed euaſura in poſterum, ac planè iam è uadis emerſiſſe, & portum tenere uideretur: ut tametſi non Troianorum magis, quàm mariti ac Græcorum metu affecta, initio ſe abdidiſſet, & conſcientia peccati, iuſtum omnium odium pariter pertimuiſſet. à Troianis tamen, fortunæ quodam beneficio iam ſecura, cùm cõcitatæ Græcorum multitudinis impetum effugiſſet, eorum iam cogitationes amplius, mariti uerò multò minùs, pertimeſcere non debere uidebatur, quorum profuſa omnium atque eiecta in Deiphobum iam eſſet, atque alios innumeros iracundia; quòdque illam quam ad mortem*

mortem propter uitæ turpitudinem, ac illatum maius omnino, quàm quanti ipsa esset, damnum, confugisse, diffidentem iam penitus ac desperantem rebus suis, crediderat, uitam non modò non deseruisse, sed omni studio ac diligentia, tanq̃ ad certam aliquam spem, seruare conantem repperisset. Quam uerò incolumem euasuram non temerè suspicaretur (quod ipso fuit pòst exitu comprobatum) ex Ilij flammis atq; cineribus tanq̃ Phœnicem alteram euolaturam, & quasi facinus præclarißimum fecisset, maximis exultantem ac triumphantem gaudijs, cum uiro demum in patriam, ad parentes, fratres, natos, necessarios, amicos redituram non dubitabat: unde & illa omnia sunt, de quibus sat superq; suprà iam diximus.

Scilicet hæc Spartam incolumis, *& quæ sequuntur. totus enim locus notus est, quasi futura illa omnia cerneret, quæ & secuta sunt pòst, nisi* Helenam *ipse eo tempore (quod non fecit) uita priuasset, & occultiora quædam alia contemptus ac despicationis semina colliguntur: nam cùm dolorem intulisset* Helena, *in suo illo conseruandæ uitæ studio, pro eo ac deberet ipsa non curare, nec contraria ijs quæ fecerat uelle, cuiuis suspitionem inijcere potuisset: irato uerò ac iam furenti, in urbis etiam, quam ipsa extinxisset, funere, exultare sola, ac tripudiare, atq; in* Troianorum *infortunijs lætari omnino atq; alacrem se esse, uel facillimè persuadere. Quædam uerò & ijs ingratitudinis etiam atque impudentiæ mulieris illius cogitatio suboriebatur, quæ*

(ut

(ut Aristoteles inquit) contemptus ac despicatio est. quod contraria prorsus Aeneas demum (ut iam diximus) ijs quae circa Helenam acciderant, atq; offenderat, expectabat, ac sperabat, acriore omnino iracundia incensus est: longè maiorem enim quae sic praeter opinionem accidunt (ut idem inquit) dolorem afferunt, quemadmodum delectant etiam multò magis, si praeter expectationem quae uoluissemus, euenerint. Ne cui uerò mirum à quoquam, aut Troianorum, aut Graecorum, uisam illam priùs atq; inuentam non fuisse uideretur, propterea etiam & latentem inquit, & secreta in sede, ut ne illud contra quenq̃ moueret, quod sic abditè (ut ait) latens, à seipso reperta sit, addidit,
Erranti, paßimq; oculos per cuncta ferenti.
Quaerebat enim socios ut infrà dicemus. Et quia noctis tempus esse memor erat, nec minus obscurae illius quidem, quàm luctuosae ac funestae, quod dixerat,
Tacitae per amica silentia lunae, *cuius beneficio suos quoque ipsius oculos subterfugere, ac latere potuit,*
Dant (*inquit*) clara incendia lucem. *Deiphobus uerò, & Aeneae quidem ipsi enarrat, Helenam suprema illa nocte simulatiōe chori igne Graecis ex arce signũ dedisse, Menelaum in domum seipso arctius dormiente uocasse, sublatis armis omnium generum, atque ense etiam suo ipsius capiti subducto: hunc uerò comite Vlysse ingressum, sic laceratum eum interfecisse, quae quidem nemini dubium pluribus rationibus inter sese*

uehementer repugnare: constat enim secundum Poëtam ipsum, quòd Deiphobi domus expugnata priùs, incensaq́; à Græcis est, quàm Aeneas domo exiret, dolosq́; eorum agnosceret: quod apertè ostendit in illo,

—Iam Deiphobi dedit ampla ruinam
Vulcano superante domus. *In quo consona & Homero ipsi dicit, apud quem Odysseæ. Θ. ubi & de Durateo illo equo, atque urbis captiuitate canens in Phæacum epulis Demodocus paucis narrat uersibus, fortißimos quosq́; Græcorum simulatq́; ex equi ipsius latebris atq; utero erupissent, diuersos, aliū aliò, abijsse urbem diripientes legimus: Vlyssem uerò una cum Menelao ad Deiphobi ipsius domum impetum fecisse, ex quo inter primum tumultum illa & capta & incensa est. Si in ea igitur Helena iam tum inuenta in potestatem Menelai peruenerat, ultroq́; se illi obtulerat, quomodò multò pòst ab Aenea ipso alibi uideri, celans se, & uirum adhuc ipsum metuens, atque aspectum & præsentiam eius uitans, potuit? Quomodò in Arcem ipsam aufugisset? cur Menelaum reliquisset? cur de eo quo cum conuenerat diffideret? cur eum fugeret, cui se obtulerat ultrò? aut quid ab eo metueret amplius, cuius mentem initio audiuisset, pòst esset experta? Illa enim uehementer inter se confligunt, uocasse ac fugere, timere ac confidisse, dubitare ac conuenisse. Sic Aeneæ igitur & Deiphobi dicta pugnare inter se uidentur: duorum autem contrariorū alterum profectò fieri potest, ut neutrum (inquit Cicero) alterum certè non potest,*

test, ut plus uno uerum sit. Considerandum tamen est ante omnia, quòd rem Aeneas quam scire facilè poterat, atq; in loco enarrat, ubi causa cur mentiretur non erat. ut mittam enim quod non opinione aut auditione dubia, sed uisu exploratißima sibi atq; compertißima iam inde ab initio apud Didonem uerè expositurum sese promiserat, cùm dixit,

-Quæq; ipse miserrima vidi. *in hac quidem parte non suspicari se, sed scire: non audiuisse, sed uidisse: non interfuisse, sed egisse dicit: nam & non uidisse se eam modò, sed & locum in quo uiderit indicat,*

-Limina Vestæ

Seruantem. *quomodò etiam se habentem atque affectam, cùm & sedentem & tacitam reperisse se eam dicit: quippe quæ & iam inde ab initio ualde, nec sine magna ratione timuisset: & multò magis profectò, cùm Aeneas illi improuiso incidisset: silent uerò qui metuunt, ut proble. sectione .xxviij. Aristoteles docet. Timebat autem*

-Sibi infestos euersa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deserti coniugis iras. *in eo igitur falli potuit fortasse quod ait,*

-Mihi fama suprema
Nocte tulit, fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusę stragis aceruum. *fama enim & falsa referre potuit: unde alibi,*

Nec iam fama mali tanti, sed certior auctor
Aduolat Aeneæ, *quasi incertior auctor ipsa sit fama.*

in hoc uerò ipso nequaq̃, quòd non ab alijs sibi allatũ, sed à seipso compertũ dicat: & in quo nõ auctorẽ ex sermone rumorem, sed ex uisu oculorũ suorũ sensum (ut iam diximus) habuerit. At Deiphobus *ipse profectò, licet non uidisse modò, sed sensisse etiam, optimo ueri iudicio dici possit: sasitanti* Aeneæ *tamen, qui ita crudeliter illum manibus, auribus, naribusq; truncasset, toto demum corpore lacerasset, quod tantum turpe sibi ille esse putabat, quantum* Poëta *ostendit in eo,*

Vix adeo agnouit pauitantem, & dira tegentem Supplicia. *ab uxore proditum se fuisse respondit.* Quis *igitur non uideat ante omnia, cui procliuiùs faciliusq; credatur? est enim uerisimilius hũc mẽtiri cuius intersit, q̃ illũ qui rem tantũ à se uisam enarrat: quemadmodum uerò eum, qui sic concisus ac contruâdatus esset (quod indecorum sibi ualde putabat) aliqua in excusationem sui commentum fortè incredibile non sit, ita & eum qui sic decæßisset, multa quæ facta nõ erant, facta credidisse necesse est: nonnulla uerò longè aliter atq; gesta fuissent opinatum, ut in hoc aut fallere ipsum, aut certe falli, non absurdè dici posse uideatur: aut mentiri .s. excusantem se, aut quòd opinetur sic & ipse mendacium dicere, ipsa uidelicet rerum fortuitarum concursione deceptum. suspicari enim hoc potius illũ quàm cõpertum habere, uel ex suspiciosa ipsa gesti negotij explicatione colligitur, quæ cùm probationis semina debeat procul omni dubio continere, ut certè continet, & (quod in coniecturali controuersia*

plerunq;

plerunque solet accidere) non tam rei, quàm eorum per quæ res colligenda est, expositionem habeat, tota profectò signis, & indicijs, cæterisque locis, quibus augetur suspicio, referta est, manifesto satis argumento, nihil illum habuisse cogniti, nihil comperti, qui suspitionum omnes latebras peragrauit. Veruntamen unde & quãdo Deiphobus ab Helena proditum se fuisse resciuit? aut antequàm necatus est profectò, aut pòst, aut in re ipsa, dicere necesse est: antè uerò, procedere nullo pacto potest: nedum enim se, uerùm etiam patriam, parentes, ciues, ac socios ab imminenti liberasset exitio: non modò non intellexit igitur, sed neque suspicatus est etiam. Post mortem uerò utrùm ex aliquo, qui non modò in æternam illam (ut Cicero inquit) domum, sed bello clarus in eadem etiam secreta proximus decessisset, audiuisse? an diuinantem potius ipsum per se uidisse dicendum? Quem uerò rem ad eum, quæ non fuerat (ut hoc loco dicamus, quod infrà magis patebit) apud inferos detulisse dicamus? atqui ne confingi (ut opinor equidem) tale aliquid ullo pacto potest. Sequitur igitur diuinantem illum, quæ ante obitum prorsus ignorauerit, posteà intellexisse, ut cùm corpore excesserint, diuinare solent animæ: sed hoc admittere in Deiphobo nullo pacto possumus. Vt enim cætera omittam, illud omnino manifestum est, Virgilium defunctorũ omnes animas nequaq̃ diuinantes inducere, sed paucas tantùm, quæ purgatæ iam essent, lætaq; tenerent arua, qualis apud illum

est Anchises. Hinc & Palinurus enim apud inferos constitutus, mortis suæ ignorat auctorem, cùm ait:

-Nec me Deus æquore mersit. *malè enim Donatus Seruiusq́; distinguunt, legentes,*

-Nec te Phœbi cortina fefellit, nec me, *ut sequatur, Deus æquore mersit. insulsa enim & inepta Palinuri responsio fuisset, si Aeneæ interroganti,*

-Quis te Palinure Deorum
Eripuit nobis? *respondisset, Deus: ut si dicenti, quis homo te percußit? ita occurras, homo, non potius Socrates, aut Callias? aut non homo, sed asinus. sic enim & Solœcismus fieri posse putatur, cùm responsum ab interrogante dissentit. Donatus uerò cùm dicat, cognouit uim illam esse diuinam, sed quis Deus fuerit, ignorat, quia non uidit nisi Phorbantem: quasi id quod alibi legimus esse uelit,*

Quis Deus incertum est, habitat Deus. *tametsi Palinurũ nõ diuinare satis ostendit, contrà quàm Seruius opinetur: uix satis mihi tamen illud attendisse uidetur, quòd duo quædam sunt, & Deus, & casus: unde sæpe apud Poëtam*

-Casusue, Deusue, *& M. Cicero .ij. de diuinatione libro. Magis enim (inquit) id munere Deorum factum est q̃ casu, & sæpe alibi. Palinurus igitur de Deo interrogatus, non Deum, sed casum fuisse respondit, quod ab Aenea uidelicet propositum fuerat negans, & aliud afferens non dictum ab eo. Hoc autem significat illud fortè, qua locutione inopinatus casus denotatur,*

tur, ait enim.

Nanq; gubernaculum multa vi forte reuulsum
Præcipitans traxi mecum. *Deum. enim Palinurus fuisse ut antè non uidit, ita neq; illo tempore nouerat: de Phorbante autem nec suspicatus est, nec uerò etiam debuit. Deus enim illius, ut amici, fidelis, socij formam sumpsit, Palinuro persuasurus. dormientem uerò cecidisse sese dicere noluit, quo peccasse uideri poterat, si & ille, cui uigilandum erat maximè, dormiebat, de quo legimus,*

-Ad hunc alii cursum contendere iussi. *& qui expertus esset, placidi (ut poëta nobilis inquit) Ponti pellacia deceptus sit: unde Aeneæ illud,*

O nimium cœlo, & pelago confise sereno. *Quare cùm nihil tam capax fortuitorum sit quàm mare (inquit Tacitus) ad casum confugit, fortuitò se, non negligentia præcipitasse dicens. In facto igitur tantùm superest, ut rem Deiphobum nouisse dicamus: sed expositio ipsa negotij id nequaq̃ uidetur ostendere, quæ tota (ut iam diximus) opinabilis est. coniectura enim nititur, cuius ille signum non habet, quod necessariò rem arguat. Signa uerò hæc potißimum Deiphobus habuisse manifesta uidetur, & quòd noctu in cubiculari lecto suo, nec opinato oppressus, & ab ipso quidem Menelao est atq; Vlysse, quod ait,*

Quid moror? irrumpunt thalamo, comes additur vnà
Hortator scelerum Aeolides, & q̃ ipso in tumultu,

cùm sic in thalamum hostes irrupissent, ut priùs illorum gladios uidisset, quàm quæ res esset audiuisset, somno excussus ipsum sub capite ensem non inuenit: hoc autem ex eo conijcimus quod dicitur,

-Arma omnia tectis

Emouet, & fidum capiti subduxerat ensem. *quæ in facto tantùm, (ut iam diximus) cognoscere Deiphobus potuit, demum quod Helenam ipsam fortasse, posteà quàm somno se dedisset, nunquàm amplius uiderit. quod innuere uidetur in illo,*

At me confectum curis, somnoq; grauatum

Infelix habuit thalamus. *quasi dicat illa, chorum adhuc simulante, & circunducente Phrygias mulieres, quæ signa coniuncta rei ipsi sunt, & sine ulla quidem approbatione pro perspicuè ueris accipienda, quo cum falli omnino sequatur. ijs enim negatis fallere dicendum esset, quorum alterum Deiphobi persona magis suscipere uideatur, alterum Homeri auctoritas confirmare, cùm durum illud ait difficileq; fuisse certamen, ut fama etiam uera ad Aeneam tulisse ea nocte uideri possit, uasta illum Pelasgorum cæde defessum super confusæ stragis aceruum procubuisse: quod factum ab inermi credibile non est, ab eoq; qui imparatus inuentus, atque adeò oppressus sit. quòd uerò de Vlysse non mentiatur & Menelao cùm ait,*

Intra tecta vocat Menelaum. *& paulò pòst,*

-Comes additur vnà

Hortator scelerum Aeolides. *quos ambos & Homerus*

merus Demodoci *persona nominat:quemadmodm si in alijs quidem suspicatur, nimis perspicuè profectò ac uerè* Deiphobus *id cognoscere potuit,ita falsis etiam uera nonnulla permiscens, securius in reliquis fortasse mentitur. Dicamus tamen uerè illi omnia sicut ipse enarrat contigisse,ut cùm arguere suspiciosè poßit,criminosè fingere non uideatur,ipsaq́; controuersia consistat. suspicari* Deiphobus *(nec sine magna quidem ratione) potuit, apertam ab aliquo* Menelao *domum fuisse, ensemq́; puluino cui incumberet,subductum. quæ quidem suspicio cum intra parietes, in domestico scelere uersetur, ad quem alium domi quàm ad* Helenã *ipsam, tam antè actæ illius uitæ existimatione, quàm causa pertineret? nam & persona motus est, cùm per* Ironiam *dixit,*

Egregia interea coniux. *neq; enim creditu difficilè ab* Helena Deiphobi *salutẽ proditã,à qua primus ipse uir* Menelaus *desertus fuisset antè.in hoc enim crimine non tunc primùm & illa inuenta est, et* Ledæam Hermionem *Lacædemoniosq́; hymenæos,* Andromachè *ita dixit libro .iij. quasi fatale id quoddam etiã esset,domesticumq́; ac uernaculũ.Illius igitur persona credibilia facit,quæ* Deiphobus *suspicatur, atq; etiam causa facti. neq; enim & causa prætermissa est ab illo cùm ait,*

Scilicet id sperans magnum fore munus amanti,
Et famã extingui veterũ sic posse malorũ, *ut aliquo insigni indicio placare studeret,quẽ iratũ putabat, & suspitionẽ omnẽ extingueret,quòd ultrò* Paridẽ *secuta sit,*

sit, quasi & antè rapta fuerit inuita, quæ libenter redierit, & ultrò sese obtulerit. quod adeò quidem & in illius quæ egisset naturam, & in eius qui audiret opinionem quadrare aptè Poëtæ, seu Deiphobo potius (is enim loquitur) uisum est, ut in eo commorandum non duxerit, inquiens,

Quid moror? *huc & alia signa illa manifesta pariter accedunt, quæ gestum negotium præcesserunt, quod & facem tulerat, & chorum duxerat, unde fraude Helena egisse uisa. cùm enim ea gessisset antè, quæ ipse etiam fieri ab ea uiderat, ea uerò postea sint consecuta, facilè hac suspitione perculsus est, Helenam rei consciam, consultò illa, non fortuito, nec temerè, uera non falsa gestientem lætitia, & insidiarum causa fecisse. nec ipsa uerò abfuit occasio, tum priuata, tum publica: priuata autem somni, quam ostendit in illo,*

Tunc me confectum curis, somnoq; grauatum
Infelix habuit thalamus, presśitq; iacentem
Dulcis & alta quies, placidæq; simillima morti.

ubi nec somnum modò, uerùm solito etiam profundiorem somnum, qui corpore atq; animo fessis contingere solet, ostendit. publica uerò diei festi atq; solemnis præ lætitia celebrati, unde & illud,

Nanq; ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti. *qua occasione Helena & flammam tenere, & chorum ducere sine ulla prorsus fraudis, aut doli suspicione potuit. Licet igitur in hac Deiphobi narratione nihil prorsus omissum sit ex ijs, quæ ad probandum*

bandum necessaria sunt, quod tamen ipsum uel eo manifestum est, quòd non Criticos Grammaticosq́; omnes modò, uerùm etiam Poëtas aliquot fefellit, cõiecta ipsa suspicionum proditionis multitudo: quemadmodum etiam adeò aperta atq; dilucida expositio est & breuis, expletaq́; omnibus suis numeris & partibus, ut eam Virgilij poßis agnoscere: pro credibili tamen pleraq́; (ut iam diximus) à Deiphobo sumpta, non pro necessario sunt. Licet enim improuiso in cubiculo oppressus, & à Menelao quoq; ipso, atque etiam dormiens fuisset, hoc illi profectò sine aliqua uxoris fraude potuit accidere: quippe quòd & Troianorum alijs ea nocte non parum multis euenisse satis constat. plerosq́; illorũ enim in cubilibus deprehensos mactatosq́; fuisse, non Poëtæ Græci modò, sed Halicarnasseus Dionysius quoq; τῆς ῥωμαϊκῆς ἀρχαιολογίας libro primo scriptum reliquit, & Virgilij ex libro secundo illud ostendit,

Inuadunt vrbem somno vinoq́; sepultam. *nam quia ad multam noctem uigilauerant, & propter falsam lætitiam Græcorum discessus, & cibo se & uino onerauerant, & nihil eo minus expectabant, nõ priùs hostium aduentum perceperunt, quàm effractis ac reuulsis ianuis, in cubilibus temulento (ut ille inquit) ac securo sopore profligati, totisq́; præcordijs stertẽtes à Græcis deprehensi sunt. Et hoc igitur Deiphobo pariter accidere sine aliqua proditione potuisse quis dubitet? Menelaum uerò Helena ipsa non imprudente modò, uerùm no*

rum nolente etiam atque inuita, quid aliud facturum fuisse putandum, quàm Deiphobi, cui illa, Paride iam à Philoctete (ut diximus) interfecto, nupserat, domum ante omnia inuasurum? ulturum. s. iniurias, puniturumq́; dolores suos? quod (ut suprà dictum iam est) & ipse finxerat Homerus, licet omnem prorsus insidiarum aut fraudis suspicionem tollere uideatur, cùm grauißimum ibi aggredi bellum ausum Vlyssem inquit, Mineruæ demum opera peruicisse. si enim datum signũ, si aperta ianua, si non arma modò omnia domo emota, sed ensis ipse etiam capiti illius subductus: si hostile ferrum iugulo ac lateribus eius admotum, hoc non uidetur profectò triste illud difficileq́;, quod dicitur fuisse certamen. Iam igitur de uoluntate Helenæ uideamus, quæ quidem ut ex signis ipsis factum, ita ex persona & causa inspici solet, & omnium primum, quæ de illius persona suprà dicta sunt: tametsi probabiliter dici uidentur, (perinde enim ut opinio est de cuiusq; moribus, ita quid ab eo factum sit existimari potest, inquit Cicero) perfacilem tamen rationẽ habent reprehendendi. neq; enim quia Menelaum deseruerit Helena, propterea statim credibile est, Deiphobum illam fuisse proditura m, uel reditum etiam in patriam, & ad primum ipsum uirum desideraturam. uerißimè enim (aut ego fallor) grauißimeq́; à Penelope Vlyßi Odysseæ ψ. dictum est,

οὐδ' ἕκεν ἀργείη ἑλένη διὸς ἐκγεγαυῖα
ἀνδρὶ παρ' ἀλλοδαπῷ ἐμίγη φιλότητι καὶ εὐνῇ,

εἰ ᾔδη

εἰ ἤδη ὅμιν ἄνδρες ἀρήιοι υἷες ἀχαιῶν
ἀζέμεναι οἴκονδε φίλην ἐς πατρίδ' ἔμελλον.

Qualis igitur mentis illius sensus esse illo tempore potuerit, ex hoc facilè (ut opinor) intelligi potest. si enim quando domum reducendam se putasset, alieno nunq̃ concubitura erat uiro, nunc uerò non cum uno tantùm, sed duobus, & uigesimum quidem annum iam concubuisset: quid ni omnia efficere uelle deberet, ut in Græciam, & ad primum ipsum uirum redeundum sibi amplius nullo pacto foret? Quocirca & Paride sublato redire noluit quoq;, ut in Dionis oratione est, Τρωϊκὸς ὑπὲρ τοῦ Ἴλιον μὴ ἁλῶναι. *Sed Deiphobo ipsi potius nubere, uiro pulcherrimo (si Homero credimus) atq; fortißimo. Nec quenq̃ mouere debet, quòd Odysseæ. Δ. ubi de Vlysse cum Telemacho loquitur Helena, his usa uerbis reperitur:*

ἔνθ' ἄλλαι τρωαὶ λίγ' ἐκώκυον. αὐτὰρ ἐμὸν κῆρ
χαῖρ', ἐπεὶ ἤδη μοι κραδίη τέτραπτο νέεσθαι
ἂψ οἶκονδ', ἄτην δὲ μετέστενον, ἣν ἀφροδίτη
δῶχ' ὅτε μ' ἤγαγε κεῖσε φίλης ἀπὸ πατρίδος αἴης,
παῖδά τ' ἐμὴν νοσφισσαμένην θάλαμόν τε, πόσιν τε
οὔ τευ δευόμενον, οὔτ' ἂρ φρένας, οὔτε τι εἶδος.

Iuuenis illius enim earum rerum omnium ignoratione ad emerendam mariti gratiam abutebatur, quo præsente talia dixit, atq; in aliquo profectò mendacio illi delitescendũ fuit. Iam igitur nõ tam ex persona Helenæ uoluntas in hoc, quàm ratio facti & consilij spectanda uidetur, quod quidem plerunque (ut Fabius refert)

causis,

causis, temporibus, occasione, necessitate ad rerum momenta conuertitur, ac facilè quidem potuit Helena, cùm attritis & prope iam perditis Troianorum rebus, in eum casum uenisset, ut uel inuitæ sibi & in Græciam, & ad Menelaum redeundum, aut omnino pereundum esse intelligeret, & uoluntatem tempori ac periculo suo accommodatam induisse, & necessitati iam parendum sibi statuisse. cùm autem spem salutis in alia ratione non haberet, cum Menelao cõuenisse, & licet inuitam, oblata sibi huiusmodi proditionis occasione, reditum in illius gratiam aucupatam esse: necnon ueterem apud uirum & alios calumniam purgare quæsiuisse: ex quo quidem illam in suspicionẽ Deiphobo uenisse apparet. Sed si Helenam ego totius consilij Græcorum insciam atq; ignaram prorsus fuisse docuero, ac de equi ipsius dolo ne suspicatam quidem esse, obtinebo iam tale eam nihil non modò conficere, sed ne cogitare quidem potuisse: quam enim anteà delinitam, & optima aliqua spe confirmatam, aut admonitam saltem oportuit, si nihil quicquam tale factum, quæsitum, pertractatum apparuerit, tam repentè illam, tam temerè, atq; inconsultò, tam audacter, uel potius impudenter, mentem & uoluntatem eam, quam & habuisse simile ueri est, & cuius significatio in Homero multis locis extat, exuisse, credibile non erit. Signum autem ut daret, fores panderet, arma deferret, ensem subduceret, atq; alia omnia gereret, quæ facta ab ea Deiphobus suspicatur, fieri nullo pacto potuisse constabit. Quomodò autem

autem simile ueri sit, tanti consilij participem, tantæ rei consciam tunc temporis eam fuisse, ad cuius aures, decimo atq; extremo adhuc belli anno, nondum permanasset, utrùm fratres eius Castor et Pollux defuncti laboribus iam essent, necne, Græcos in expeditione illam secuti, an domi potius remansissent, uel ad Troiam nauibus uecti illi quidem essent, præ pudore tamen in pugnam, singularis illo Menelai cum Paride certaminis die non prodijssent? cũ enim apud Homerũ Iliados. Γ. à Priamo interrogata de Græcis ducibus atq; principibus regem doceret, fratres autem oculis inter alios è turri frustra diu quæsiuisset, post illa non iam amplius ex percontatione quæsita, sed dolore ab ea expressa Poëta infert,

Ὣς φάτο, τοὺς δ' ἤδη κατέχεν φυσίζοος αἶα.

& quæ sequuntur. & quisq̃ Helenæ tam arcanam rem uoti ac religionis specie occultatam, paucis inter ipsosmet (ut uerisimile est) Græcos notam, à cæteris ignoratam, aliqua uia ac ratione compertam? aut tam absconditas insidias, tam noua ac dolosa consilia extremo illo tempore Menelaum mulieri commisisse existimauerit? cui nullum unq̃ anteà toto eo longi belli tempore cum Helena commercium fuisse, uel ex hoc tantùm probari facilè ac defendi posit, uel quia non crederet autem, uel quia odisset, uel quòd ipsa nõ admitteret, uel quia satis commodè id fieri non posset, nihil ad rem, mihi illud tantùm satis est ad id quod quærimus, nullum inter eos tale cõmercium intercesisse,

ut huiusmodi dolos aut Helena per se aliqua uia ac ratione præsentire, aut à Menelao, aut à quouis alio ex negocij illius conditoribus accipere potuerit. quod tamen non coniecturis iam suspicari, sed apertè ac manifestò perspicere atque intelligere quiuis ex eodem Poëta Homero facile poterit, apud quem Odysseæ. Δ. ille idem Telemacho Menelaus enarrat, ad equum Helenã, in quo unà cũ Vlysse ac principibus alijs ipse esset inclusus, ducente numine, insequente Deiphobo accessisse, eundẽ circũstetisse, sæpius attrectasse, assimulataq; uxorum principum omnium, qui intus erant, uoce, ut ad respondendum illos alliceret, tumultumq; aliquem ac motum iniectis domesticarum solliciudinum aculeis ac scrupulis excitaret, nomine quemq; uocasse. Nihil demum, ut uerisimile est, ac totus ille locus indicat, intentatum atq; inexpertum reliquisse, quo Græcorum (si qui fortè laterent) dolos atq; insidias cognosceret atq; aperiret: quippe quæ nihildum istiusmodi magis, q̃ Troianorum ipsorũ quisq̃ nouisset, quod quidem officium ab ea aut pro tempore simulatum, aut ui expressum atq; coactum fuisse, ne maritus eius quidem dicere ausus est, cùm seipsum, etiam Diomedem ita stimulatos atq; excitatos fuisse fateatur, ut egredi q̃ in equo latere inclusi intus mallent. Anticlus autem ille Ortygides omnino responsurus, nisi Vlysses ora ipsius manibus compressa diu ac constricta tenuisset, licet eam purget q̃ potest maximè, in Deum qui Troianorum partes foueret, culpam conferens atq; reijciens. Nec obstiterit

stiterit, quòd de Vlysse Dectis habitu (nam hoc ut opinor nomine mendicus erat) Ilium ingresso, & ab ea cognito eodem illa loco inquit,

καὶ τότε δή μοι πάντα νόον κατέλεξεν ἀχαιῶν.

In quo cùm nemo eam posset redarguere, absentis testis occasione mentitur: uitabat enim Helenam astutè & callidè quidem Vlysses, quod & ipsa ibidem fatetur, à qua cùm se cognitum posteà sensisset, quod tantum negare ei amplius non poterat, forsan confessus est, quem tamen illam etiam Hecubæ manifestasse dicunt: sic enim apud Plautum in Bacchidibus

-Vlyssem vt prædicant
Cognitum ab Helena esse, proditum Hecubæ, *cui blanditijs ille persuaserit, ut se abire permitteret. atqui tantum abest, ut Helenæ fidem Vlysses habuerit, ut ne pudicissimæ quidem uxori credendum sibi putarit, sicuti Odysseæ π. scriptum legimus, inquiens etiam Thelemacho,* μήτ᾽ αὐτὴ πηνελόπεια
ἀλλ᾽ οἷοι σύ τ᾽ ἐγώ τε γυναικῶν γνώομεν ἰθύν.
unde Virglij illud,

-Notumq; furens quid fœmina possit. *nisi fortè existimamus, mulieri eum tunc, cùm expertus nondum esset, credidisse, posteà uerò nequaquam, ab Agamemnone præsertim admonitum. ille enim Vlyssi apud inferos congressus Clytemnestram accusat, quæ oculos morienti non clauserit, monetq; ne mulieri fidem habeat, neue omnem animi sui sententiam eloquatur. Cùm igitur excogitatum crimen id esse non potuerit, unde tunc diffi-*

D dendum

dendum an confidendum sibi fuerit, scire potuit Helena? dubium fuit profectò, at sperauit, inquit, quam ob causam? necesse est enim eam & iustam, & magnam, & perspicuam fuisse, utrùm opinione officij tantùm, non modò stulta, sed improba. magna profectò temeritas, ni singularis impudentia potius dicenda est, non modò sine ullo timore, sed etiam tanta cum spe, eo tempore, huiusmodi tantùm de causa, tanto in periculo fuisse, quæ quanta tamen esse potuerit atq; debuerit, uel ex Deiphobi ipsius uerbis facilè comprehendi potest cùm ait,

Scilicet id sperans magnum fore munus amanti,

hoc enim eò spectat, ut imprudentem illam ac stultam, quæ hoc sibi persuaserit, dicat. sensus est enim per irrisionem atq; ironiam hæc significans. Longè uerò aliter Helenæ quàm putarat accidisset: nanq; & primum illud dedecus, turpitudinem, ignominiam auxisset, nouam ad priorem culpam addendo, & scelere scelus cumulando, si mariti ueteris reconciliationem noui sanguine sanare, & quod turpiter amiserat, nepharié recuperare uoluisset, uiroq; parum gratam rem fecisset: tunc redire ad eum se spei ac officij simulatione uelle ostentans, cùm effugere amplius non posset, Deiphobum prodere ipsum uolens, quod & quando esset minimè necessarium. Igitur quod non pertractasset anteà, sine ulla reconciliatione gratiæ, non nepharié modò cogitasset, sed stulté etiam sperasset. Verùm non ego hoc dicam opinione falli Helenam non potuisse, quod

innuere

innuere Deiphobus, ut dixi, uidetur: sed non uerisimile esse, istam reconciliationem gratiæ, illam, tum cùm faucibus premeretur, excogitasse, & in ipso articulo temporis, tam dubia inaniq; spe potius ductam, quàm repentina atq; improuisa formidine territam, præsentiq; mortis metu, ac perspicuo periculo cædis coactam fuisse. Celare igitur se non muliebri illi naturæ, atq; illius cōscientiæ modò, quæ (ut est apud. M. Tullium) timidum suspiciosumq; facere solet, in tantoq; & tam inopinato casu, periculoq; tum proprio, tum communi magis conueniens: uerùm longè etiam tutius fuit, cui non à Menelao solùm, sed à Græcis adhuc omnibus alijs: nec à Græcis tantùm, sed à Troianis ipsis multò magis metuendum erat. Si quam uerò sperare & à Menelao ipso ueniam poterat, primus omnino ille impetus uitandus fuit, ubi in iracundia, in uictoria, animorum ardore & armorū, inter ferrum ac cædes, nullus clemētiæ, nullus precibus locus est, donec mariti ac Græcorū ira, ueluti aculeo in Deiphobum atq; in cæteros Troianorum dimissa ac relicto, leniores illos postrà ipsa experiretur. ita enim naturâ comparatum esse Aristoteles in Rhetoricis docet, ut maiorem omnino iracundiam leniat sumptum de alio supplicium priùs: adducto ibidem Ergophili cuiusdā exemplo, ac Philocratis nescio cuius dicto, qui cùm admoneretur ab amicis, ut apud iracundiâ incitatum in eum ipsum populū se purgaret, facturum id omnino se negauit, priùs quàm in quempiam alium animaduersum iam uideret; antè enim

maturum non esse. quod quidem & fecisse Helenam nō Aenea ipso tantùm teste apud Virgilium credimus, sed Graecis etiam Poëtis: & non metu praesentis exitij modò, at pudore tantùm ipso facturam ac uerecūdia fuisse, credere par est. Sed haec de uoluntate dicta sufficiant. illud uerò etiam sequitur, quomodò ignara atque imprudens tantorum impendentium malorum, mentisq; Graecorum ac consilij, ex arce dare illis signum potuerit: hoc enim ut caeteri omnes, abijsse & illa putabat, de quibus legimus,

Nos abiisse rati, & vento petiisse Mycęnas. *sicuti fuerant à Sinone persuasi,*

Et nunc quòd patrias vento petiere Mycęnas, *nisi post agnitos dolos tale eum aliquid fecisse dicamus, quando orgijs ducendis tempus, et choro simulando nō erat. addo illud etiam neque armis domo efferendis, subducendo ensi, caeterisq; gerendis, quae facta ab illa Deiphobus suspicatur. quare chorum ducebat, sed non simulans: flammam tenebat, sed non signum ut daret: sed si tunc signum, cùm chorum duceret, dabat, tempore ipso non dabat. non solùm enim tota tunc ciuitas uigilabat, sed ne Deiphobus ipse, qui uidit quidem, adhuc cubitum secesserat: quod totum non insidiosè, non praeparato quidem, nō maliciosè, sed bona mente factum esse, & illud ostendit, quod palàm, non autem ex insidijs, uigilante ciuitate, Troianis mulieribus comitantibus, omnia gerebat. Datum autem fuit illud exitij signum ex Ilio quoque à Tenedo uenientibus Graecis, sed aliquantò*

quantò pòst, cùm .s. fusi per mœnia Teucri, conticuere (ut Poëta inquit) sed non ab Helena, cui hoc improuisum atq; inopinatũ accidisset, uerùm à Sinone totius negocij ductore, ut Plautus dicit in Bacchidibus his uerbis,

Bacchidem habet secũ ille olim vt habuit ignem
qui signum daret: & Calaber παραλειπομένων

Libro. XIII. δὴ τότ᾽ ἄρ᾽ αἰθαλόεντα Σίνων ἀνὰ
πυρσὸν ἄειρεν

Δεικνὺς ἀργείοισι πυρὸς σέλας. tametsi quomodò inter se dato illi signo cõuenerint, Poëta ostendit in eo,

-Flammas cum Regia puppis
Extulerat. utrinq; enim datum esse uerißimile est, & non datum igitur ab Helena constat, & à quibus datum sit apparet: licet Tryphiodorus Aegyptius Grammaticus, qui uersibus Ilij captiuitatem conscripsit, tale aliquid de ea tradidisse uidetur. cùm enim de Sinone dixisset (quod & Virgil. & Calaber, & Plautus, & alij) de Helena infert,

παννυχίη δ᾽ ἑτάροισιν ὑπὲρ θαλάμοιο καὶ αὐτὴ
ξυνεδήες Ἑλένη χρυσέην ἀπεδείκνυτο πεύκην.

Post datum tamen signũ (ut Deiphobus suspicatur) domum uenit, arma domo omnia effert, capiti ensem uiro iam arctè & grauiter, ut fit ex laßitudine, dormienti subducit. primo uerò hoc non ordine procedit: antè enim hæc gesta, posteà datum signum esse oportuit. deinde spes occultandi & perficiendi doli quæ fuerit? utrùm ipsa per se ista omnia gessit? atqui uix potuisse uidetur, an per alios potius? nam illud,

 -Arma

-Arma omnia tectis

Emouet. *hunc etiam facile sensum admiscrit. cui commisit igitur? quo administro usa est? cui tantum facinus? cui suam & Graecorum omnium salutem credidit? in quē aliū enim aut urbis aut familiae similis, quae in illā suspicio consisteret? quem in locū comportabātur, quae domo exportabātur arma? quare etiā si uoluisse* Helenam *concesserimus, nec potestatem, nec facultatem habuisse illam, ut confiteamur necesse est: at ensem capiti ipsius subducere, neq; etiam fuit necesse. quid enim unus perterritus, semisomnis, securus, inermis, quàm uelit sit strenuus, efficere* Deiphobus *potuit? contra tot alacres, uigilantes, uictores, ardentes odio, iratos, paratos, atque instructos, etiam si ensem habuisset? illud igitur non potuit ab ea, hoc fieri etiam non oportuit, quod licet suspicari aliquid non synceri in* Deiphobo *fuisse: mentitur in hoc enim fortasse propter pudorem, quippe qui ita truncatus esset, quasi si ensem habuisset, talia passurus non fuerit.* Concludendum *igitur profectò,* P. Virgilium *non esse contrarium sibi, sed* Aeneae Deiphobū: *persona enim cum persona, non* Poëta *secum ipse componitur. cùm* Poëtae *enim ars imitatio quaedam sit, & contrarios interdum hominum affectus exprimat, saepenumerò cogi illum sibi ipsi contraria dicere* Plato *legum lib. quarto testis, cuius ubi de* Poëta *loquitur uerba sunt haec,* τῆς τέχνης οὔσης μιμήσεως ἀναγκάζεται ἐναντίως ἀλλήλους ἀνθρώπους ποιῶν, διαθεμένους ἐναντία λέγειν αὐτῷ πολλάκις. Quemadmodum

modum igitur multa esse in Poëtis Homero Virgilióq́;, in quibus sibi ipsis illi contraria dixisse uideri poßint, non fatemur solùm, sed etiam profitemur, ita non temerè id, nec sine ratione, sed consultò & ex arte factum esse contendimus. Aeneam autem ipsum hac parte uerum, falsum uerò Deiphobum dicere: talia tamen illum qualia sentiret, & loqui, ut constet ea ideò à Poëta esse posita, quia cùm tractaretur Deiphobus, personæ seruiendũ fuit illius, qui ueritatem rei ignorans, talia, nec temerè quidem, non suspicari modò, sed credere facilè poterat (nisi fortè fallere illum ac mentiri potius uolumus, de quo minima mihi hoc tempore quæstio est) non autem ut pro ueris illa nos accipiamus, quibus Poëta idẽ & in ipsamet Deiphobi narratiõe impressa quædam uestigia signaq́; reliquit, & alia locis alijs manifestiùs posuit, unde rei ueritatem non suspicione tantùm nos, sed ipsis deprehendere manibus ualeamus. Ex ijs enim quæ post mortem illius sunt consecuta, ut Deiphobus conijcere nihil potuit, quippe qui fuerit trucidatus, ita nobis quibus res tota tradita est longè aliter euenire quis ambigat? ille enim quid factura esset Helena, dubitauit, nos quid fecerit uidemus. uolumus enim ex his quæ secuta sunt pòst, facilè cognoscere opinione falli Deiphobum, qui ab Helena proditum se fuisse putarit? nullum profectò uerius ac manifestius argumentum, quòd eo in loco, in ea animi affectione, multò pòst ab Aenea ipso uisa illa atque inuenta sit, in quo si eum prodidisset, uideri nullo pacto, tali præsertim

tempore, potuit. quod Aeneas etiã manifestaturus Dei-phobo fuisse uideri potest, nisi Sibyllæ admonitio interœpisset, ut illud non frustrà dictum constet,

Et fors omne datum traherent per talia tempus,
Sed comes admonuit breuiterq́; affata Sibylla est.

In eo enim falli Deiphobum Aeneas optimè nouerat, ueruntamen superuacanea huiusmodi illo tempore disputatio erat, unde ait per talia, hoc est nihil iam amplius, quomodocunque sese habuerint, profutura. Mitto autem quod paulò post Deiphobi domus incendium atque ruinam, Aeneas de Menelao et Vlysse meminit, Cassandram à Mineruæ templo trahentibus. meminit de illis ad Regiam Priami pugnantibus quoq́;, & de Helena uerbum nullum, quippe quam nondum Menelaus inuenerat: & omnino aptius Poëtæ uisum est, quoniam semel de illa certè, non minùs quàm de Priamo Rege, mentionem facere Aeneas debuit, Troiæ excidium in conuiuio Didonis enarrans, mulieris nempe, cuius causa tantum illud belli incendium conflatum erat, in extremam noctem Menelao ipsam reseruare, quàm tunc, cùm pugnandum erat maximè, huiusmodi illum sarcina inutiliter onerare: & tametsi ad inuentam Helenam usque Aeneæ narratio non procedit, quippe cui ipse rei non interfuit, eò iam deduxerat tamen, ut quid postrà secutum sit, quiuis intelligere facilè possit. Quid, enim quod adderet reliquum erat amplius, quàm post Aeneæ discessum, Menelaum eum in locum peruenisse, sic latentem illam, circunspectantem omnia,

mnia, quicquid increpuisset pertimescentem, metu mutam atque exanimatam, ac uix uiuam, horrentem, ac trementem offendisse, & (quod Poëtæ Græci prodiderunt) interficere etiam uoluisse: sic enim & Q. Calabrum, tametsi non in Priami Regia, non in æde Vestæ, sed in conclaui quodam retrò in ultimis ædibus, ut Terentianus ille inquit, celantem sese inuentam: & Euripidem ipsum in Tragœdia finxisse constat, apud quem tamen cùm interimere eam decreuisset Menelaus, ac strictum iam gladium intentaret, ubi illam accessit propiùs, mulieris forma perculsus, ensem abiecit, in collum inuasit, postremo etiam deosculatus eam est, séque ipsum quasi captiuum ei dedidit, quod apud Galenum de Hippocratis ac Platonis decretis libro quarto scriptũ inuenias: unde et talis increpatio in eũ fertur, σὺ δ' ὡς ἐσεῖδες μασὸν ἐκείνης ἐκβαλὼν ξίφος φίλημ' ἐδέξω προδότιν αἰκάλλων κύνα. *Hæc ego à Critiis ipsis et Grãmaticis uisa non fuisse, non miror: acutiùs enim ficta sunt, quàm ut quiuis ea possit agnoscere. Inuentum tamen esse quenquam tanto errore inflatum, qui quoniam contradictionem hanc cùm agnosceret ac confiteretur (siue eam Tucca Varúsque, seu ueterum Grammaticorum quisquam alius, non abditissimam rem profectò, uiderat antè) quid secutus in ea Poëta esset, coniecturâ assequi non quiret: icciro minus illum nihil sine summa ratione atque artificio fecisse sibi persuaserit, id uerò demiror.*

 Adhuc

Adhuc unum tantùm discutiendum restat, pòst finem faciam hac de re plura dicendi. Vtrùm in domo Priami Aeneas amplius, cùm Helenam uidit, Venusq; irato ac dubitatione æstuanti apparuit, & in qua eius parte, uel aliquo alio in loco potius fuerit: & in hoc enim aliqua difficultas, atq; inter ueteres Grammaticos dissentio esse uidetur. Donatus quidem in domo Priami adhuc, atq; in summa eius parte constitutum illũ fuisse asserit, quo & antè sese ascendisse dixerat,

Euado ad summi fastigia culminis, *et unde se præcipites dederant socij, aut tradiderant flammis, et iratus posteà dicat,*

Descendo ac ducente Deo, *& quæ sequuntur. néq; haud sanè pœniteret sententiæ eius esse, nisi quod malè dißimulatis ab eo uersibus continetur, non negligendum esset, in quibus legi iam diximus,*

-Cum limina Vestæ
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio. *si in domo enim Priami adhuc illum, atque in summa eius parte fuisse concedimus, quæ Vestæ accipere eo loco limina, in quibus abdere sese potuerit Helena, debeamus, proferre non facilè possumus: nisi Vestæ ibidem sacellum fuisse existimamus, molles ubi reddunt oua columbæ: tametsi simile omnino ueri uidetur esse, uerè ac diligenter considerantibus, ut cùm primum Græci effractis postibus, conuulsisq; repagulis in Regiam irruperunt. Aeneas & alij quos iam inde ab initio ad summi tecti fastigia ascendisse*

Poëta

Poëta dixerat, in inferiorem ædium partem descenderint, ut & armatis, qui stabant pro foribus, opem atque auxilium ferrent, & hostibus occurrerẽt, qui inferiora domus irruperant, cum eo uel ipsum Priamum paratum atque armatum ea de causa descendisse satis constet, ubi & obtruncatus postea ad Hercæi Iouis (quem alio nomine penetralem Romani uocauerunt) aram sit, in quam Hecubã & natas iam confugisse Poëta dixerat: sic enim & Aeneæ cõtigit, ut ea uideret quæ dicit,

-Vidi ipse furentem
Cæde Neoptolemum, geminosq; in limine Atridas.
Vidi Hecubam, centumq; nurus, Priamumq; per aras
Sanguine fœdantem, quos ipse sacrauerat ignes,

& illud,

Vt regem æquæuum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem. *quæ quidem omnia, si in ipsa summitate arcis adhuc erat, uidere uix potuit, tametsi editiora illius reliquisse iam Aeneam, uel ex eo conijci potest, quod Venus dicit post,*

Iam summas arces Tritonia (respice) Pallas, *& cætera. neque enim ociose dictum est respice, sed ei propriè qui iam terga uertisset, sicuti de coniuge sua Aeneas post,*

Nec prius amissam respexi. *dixerat enim ante,*

Pone subit coniux. *cum tamen illum nequaq̃ semper uno & eodem loco tanq̃ æneũ signũ erectum fixumq; stetisse,*

ſtetiſſe,uel ea uerba ſignificent, atque adeò apertè oſtendant
Erranti,paſsimq́; oculos per cuncta ferenti. *dum ſocios requirebat,quorum auxilio nõ ſuis modò opem ferre poſſet,ſed ſeipſum multis,quibus undique cinctus erat periculis, expliaret. Nec obſtiterit q, ad terram ſaltu miſiſſe ſeſe ſocios dicat,hoc enim antè ab eis factũ accipimus, licet non priùs animaduerſum ab Aenea, quàm à tergo requirens illos non inuenerit,ut qui pugnare inter primos conſueuerat,unde eſt.*
Reſpicio,& quæ ſit me circum copia luſtro. *neque enim eo puncto temporis, et eo quo Aeneas erat loco, cùm à ſocijs deſertum ſe fuiſſe cognouit,ſed aliquanto antè factum id ab ipſis intelligi debet,deſeruereq́;,miſere,et dedere: deſeruerant,miſerant eſt & dederant, quæ uis præteriti interdum temporis eſt, ut Priſcianus viij. libro docet.Sciendũ enim(inquit) q Romani præterito perfecto nõ ſolùm in re modò completa utuntur: in quo uim habet eius qui apud Græcos παρακείμενος uocatur, quem Stoici τέλειον ἐνεστῶτα nominauerunt, ſed etiã pro ἀορίστου accipitur,qđ tẽpus apud Græcos tã modò perfectã rem,q̃ multò antè ſignificare poteſt.ut Aeneas igitur utrũ horũ comites feciſſent certò nõ ſciebat,quandoquidem dubitanter illud dictum eſt,*
Ad terram miſere,aut ignibus ægra dedere. *quaſi dicat aut hoc fecerãt,aut illud,ita etiam neq; locũ,neq; tempus ipſum,alioqui eos ſic(ut ait)errans,atq; oculis cuncta perluſtrãs,non quæſiuiſſet.unde & duo quoque*
mortis

mortis genera, nō speciosiora modò, quæ de socijs in Tyriorum cœtu referret, mente concœpit, sed quorū alterū ad id respiciat, si tunc cùm illum deseruerunt, in summis Regiæ *partibus erant: alterū uerò, si etiam in imis, quæ flammæ profectò sunt, in quas tam ex æquo se, quàm ex superiore loco immittere poterant, quorū tamen ita potest utrunq;, ut poßit neutrū etiam uerū esse: quandoquidem & ut sese abdidissent, et ut ab hostibus cæsi essent, & ut salutem fuga sibi quæsiuissent, fieri facilè* potuit *: unum tantùm certo sciebat* Aeneas*, desertum ab illis fuisse sese, non quia tamen flagitium rei militaris admisissent, uerùm cùm desperassent, & uani laboris tædio defeßi iam omnes essent, in quo* Aeneæ *uirtus exprimitur, qui fatigatis ac desperatis omnibus, nondum defecisset aut desperasset, & etiam si solus relictus erat, non modò deiectus de aras præsidio non esset, sed nec cessurus etiam uideretur: si & quicquam* Priamo *præstari amplius potuisset, et nisi propriæ domus patris, filij, uxoris illum memoria attigisset, casúmq;, quæ plurima illis accidere poterāt, imago mente concepta subijsset: post uerò & matris castigatio accesisset: sic etiam patriæ nunq̄ defuit usque in extremum, & cùm se ceßisse fatetur,*

-Nec spes (*inquit*) opis vlla dabatur. *nec illud etiam fortasse repugnat, quod de se posteà uisa iam matre dicat,*

Descendo: *non tam enim de superiore parte domus, q̄ de arce ipsa præexcelso atq; edito urbis loco, dicat,*

in

qua domum reis fuisse nouimus:unde et alibi Aeneas, Procedo ad Priami sedes, arcemq; reuiso. *quod apertè Homerus testatur Iliados. Z. ubi de ædibus Alexandri loquens ait,*

ἐγγύθι τε πριάμοιο καὶ ἕκτορος ἐν πόλει ἄκρῃ.

Ex quo etiam loco omne Ilium Venus ostendere undiq; intuenti filio potuerit, tametsi tota urbis ita in colle sita erat, ut quaque uersus descensus esset. quod & sæpe alibi Homerus ostendit, & Iliados. Ω. hoc uersu,

οἳ δ᾽ ἐπεὶ οὖν πόλιος κατέβαν, πεδίον δ᾽ ἀφίκοντο.

Vnde & illa Virgilij, opinor,

Sin manibus vestris vestrã ascẽdisset in vrbem, & -Scãdit fatalis machina muros. *Illud igitur quod de Vestæ dictũ à nonnullis est æde, probabilius alicui fortasse uidebitur, in quã Helena ex Deiphobi aut Priami ipsius domo confugisset, quẽadmodũ & in tali fieri fortuna solet, & à multis factũ nocte illa Halicarnass. Dionysius scriptum reliquit; & Poëta ostendit in eo,*

Plurima perq; via sternuntur inertia passim
Corpora, perq; domos, & religiosa deorum
Limina: *hoc est sacras ædes, & in illa multò uerisimilius profectò, cui nullus esset usquàm, neq; apud Græcos, neque apud Troianos consistendi locus, & in ipsa Vestæ æde, tanquàm in publico quodam, atque urbis ipsius foco. sic enim de legibus lib. II. M. Cicero eam uocat, quæ tamen in arce eadem fuerit prope ipsius Priami Regiam, ut Poëtam nouimus Romanas res potißimum per figuram aliarum rerum libenter exequi.*

&

& Numa enim Pompilius prope Vestæ ædem regiam Romæ condidit, sicuti Plutarchus auctor est, quæ posteà Neronis incendio absumpta sit, & in parte domus fulmine tactæ Cæsarē ædem Vestæ construxisse Suetonius scriptū reliquit, unde & Ouidij illud esse interpretātur Vestaq; Cæsareos inter sacrata penates, Et cum Cæsarea tu Phœbe domestice Vesta: nisi fortè non ad urbis focum & publicum, sed priuatum potius Regis ipsius, Helenam confugisse, alicui magis probabitur, nec minus sanctū, nec omni minus religione munitum locum, sicuti in oratione pro domo sua ad Pontifices M. Cicero latißimè prosequitur, quem quidem audita iam proscriptione Plutarchus, cum graues alias atq; ancipites per noctem illam cogitationes animo curásque uersasse, tum Cæsaris ipsius domum adire, clamq; eam ingredi cogitasse dicit, ac se ipsum in eiusdem foco iugulantem, malum in eum genium concitare atque immittere. Græca autem Plutarchi uerba sic habent, καὶ σφάξας ἑαυτὸν ἐπὶ τῆς ἑστίας ἀλάστορα προσβαλεῖν, ut limina Vestæ apud Poëtam, Vestam ipsam intelligamus, quam larem ac focum esse, nemo (ut ita dixerim) uel mediocriter doctus ignorat, quod sanctißimum quidem supplicibus perfugium ueteribus temporibus esse adeò consueuerat, ut communi quadam lege, tuti in hostis etiam foco essent, quod & Coriolani & Themistoclis exēpla testantur, ut ἱκέτιδα τῆς ἑστίας Helenam intelligamus, sic enim Plutarchus uocare id supplicum genus solet. De hac autē lege & Aristoteles

Aristo. Oeconomicorum lib. I. meminit hoc (ut opinor) modo. Primū inter uirū et uxorē statuendæ leges, ut cesset iniuria: ita enim nec ipse iniusti quippiā patietur, id nanq; cōmunis induat lex, quēadmodū Pythagorici dicūt, ueluti supplicē et à foco ductā, nullo pacto affiaēdā iniuria esse, et Apollonius Argonauticôn lib. IIII.
τὼ δ᾽ ἄνεω καὶ ἄναυδοι ἐφεστίῃ ἀΐξαντε
ἵζανον, ἥτε δίκη λυγροῖς ἱκέτῃσι τέτυκται. ubi interpres legē fuisse refert, ut supplices apud larē sederēt taciti, qđ quidē et in Coriolano Plutarchus ostendit: καὶ παρεισελθὼν ἄφνω πρὸς τὴν ἑστίαν ἐκάθισε σιωπῇ, καὶ τὴν κεφαλὴν ἐγκαλυψάμενος ἡσυχίαν ἦγεν & Dionysius Halicarnas. de eodē lib. 8. cū ait ἱκέτης τοῦ ἀνδρὸς γίνεται καθεζόμενος ἐπὶ τῆς ἑστίας unde Virg. & tacitā Helenā fortasse morem ipsum notans, dixit

-Tacitam sacrata in sede latentem
Tyndarida aspicio: & sedentem, cum ait,
-Atque aris inuisa sedebat. ubi uno uerbo Aeneæ ipsius excusatio quæsita uideri potest de Helena, contra cōmunē legē inter aras et focos quidē, at quibus tamen inuisa illa esset interficiēda cogitantis. Verū hoc quidē ut quisquis uoluerit, ne modū quæstionis enim excessērim uereor, uerūtamen et in re tam inueterata noua omnia sentienti, tantā opinionē, tam penitus insitam, tam uetustā ex animis hominū euellere conāti, disserēda atq; excutienda multa fuerūt: et (qđ Seneca inquit) pluribus uerbis opus est, ut quæstionē soluas, quàm ut proponas.

FINIS.

Capita Quæstionum quædam secundum paginarum numerum atque ordinem notata.

Vtrùm sublatis duobus illis & uiginti ex libro Aeneidos secundo uersibus, coniunctum aliquid continuatum, aut consentiens locum illum habere, probari ac defendi posit. *pagina.* 2
Qua potißimum ratione tantus dolor, non autem furor, excitat iras, legendum in Veneris castigatione sit. 4
Iræ diffinitio ex Aristotele, nec sine dolore eam esse. 3
Efferuescentem uehementius iracundiã, furorem dici. 3
Quæ causæ sint, ex quibus ira conflatur et efficiatur. 4 *&* 25.
In quo timor sit, in eodem iram esse eodem tempore nullo pacto posse. 5
Iram in singulos, ut Calliam, non autem in genera, ut furem, esse. 6
Cuinam iratior Aeneas tam subito extitisset, cùm illi Venus dixit, Nate quis indomitas tantus dolor excitat iras? 6
Et iratos ipsos quoque quemadmodum & cæteros αὐτῷ δυνατῶν tantum concupiscere. 6
Quod in eos, qui potentia exuperant, aut nullo pacto irascamur, aut certe minus, licet longè aliter Anneus Seneca de Ira libro primo sentiat. 7
Qua ratione ab Homero Iliados. 3. dictum sit, iram li-

quenti melle dulciorem in hominum pectoribus gliscere, ut duas inter se prorsus contrarias perturbationes, dolorem scilicet ac uoluptatem complexa sit, atque contineat. 7
Non modò timentem non irasci, sed nec iratum etiam timere, & quæ eius rei ratio. 9
Cur in obliuionem suorum omnium uenisse Aeneam tunc questa Venus sit, cùm primùm ipse reminiscentem sese de illis recordatum maximè fuisse dixerit. 9
Qua ratione eadem Aeneæ ut diceret, adducta sit, Helenam, etiam Paridem, Troiani excidij causam non fuisse. 10
Vtrùm credibile uideatur à Tucca Varoq; duos illos & uiginti uersus detractos ex libro secundo fuisse. 11
A quo Paris Helenæ raptor tandem, & quomodo confectus fuerit. 10
Veteres Grammaticos confictiones interdum quasdam potius afferre, quàm quæstiones soluere. 11
Duplex reticentiæ (obticentiam alij, alij interruptionem uocant) quæ ἀποσιώπησις græcè dicitur, genus esse. 13
Quibus rationibus Aeneas culpandus nō fuisse uideatur, etiam si de muliere interficiēda cogitauerit. 14
Qui terribiles; qui item ridiculi, in iracundiæ affectu uocantur. 14
Virum probum cùm solus fuerit multa dicturum facturumq;

cturũq; interdum, quæ præsentibus alijs nõ item. 14
M*inus turpem iracundiæ, quàm cupiditatum inconti-nentiam esse.* 15. & 17
Poё*tam imitatorem esse, & qualia illum imitari contingat; inibiq́; Horatij locus ex Poёtica consideratus.* 15. & 16
Sop*hoclem homines quales esse eos oporteret effinxisse, Euripidem uerò quales essent. Hoc autem ipsum dixisse Sophoclẽ Aristoteles in Poёtica testis est.* 15
A*udire rationem iram, non perfectè tamen pleneq́; audire, & quæ uis ac natura eius sit.* 17
V*ersuum illorum, qui à Tucca Varoq́; excerpti fuisse credũtur, non indiligens interpretatio,* 18. 21. & 22. *& sequentib.*
In *quo differat ab ultione pœna.* 19
C*ur noctu exadij Troiani irato Aeneæ Venerem apparere, nec simulata aliqua, sed sua ipsius forma ac specie, necesse fuerit.* 19
V*eneris eiusdem uerba, quibus natum acerbiore iracundia incitatum castigat, diligentißimè examinata.* 2. 7. 20.
No*nnullos ex Iliados .i. uersus ab Aristarcho fuisse detractos, quibus apud Achillem Phœnix, ob parentis Amyntoris execrationes, de interficiẽdo olim illo sese cogitasse fatebatur. Sunt autem apud Plut. in commentario, qui inscriptus est, quomodo oporteat nouitium audire poёmata.* 21
Im*pudentiam atque ingratitudinem contemptionis ge-*

nera esse. 25

Deiphobi, quo cum Helena Troiani exädij tempore nupta esset, domus, qua noctis hora, à quibusue Græcorum, & quomodo expugnata atque incensa fuerit. 27.&.36.&.37

Qua ratione Palinurus apud inferos iam constitutus, mortis adhuc suæ auctorem ignorat cum ait, Nec me Deus æquore mersit, cum constet à somno illum in Phorbantis figuram habitumq; formato, fuisse demersum. 31

Verborum pondera, quibus Aeneam libro sexto necis ac conäsionis suæ Deiphobus auctorem ac modum docet. diligentißimè examinata. 13. 32. 33. 34 &. 42.

Vtrum Helena exädij Troiani nocte Menelao Deiphobum Vlyßiq; prodiderit. 12.&.30.&.39

Fueritne eadem Græcorum doli consäa, ac Durateo in equo Græcos Prinäpes inclusos fuisse nouerit. 40

Quo nam modo sese aduersus Vlyssem gesserit, mendiä forma atq; habitu Ilium ingressum. 42

Non esse mulieribus temere arcanas occultasq; res credendas. 42

Maiorem omnino iraäundiam lenire sumptum de alio supplicium prius, celeberrimumq; ad id Philocratis dictum. 44

Qui Helenæ sensus fuerit, cùm primum Ilium captum esse sensit. 45.&.56

A quibus quomodóq; datum è Troia signum fuerit à Tenedo